MATHIÆ SPANI

JURISCONSULTI

SEMINARII ARIANENSIS ALUMNI

CARMINA.

TOMUS I.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM FERNANDES
Via Tribunalium N.° 287.

1818.

MONITUM LECTORI.

Carmina quæ hoc primo volumine continentur edita fuere anno 1782, cum poeta non dum annum tetigerat vigesimum; quæ vero continentur in secundo volumine exarata fuere annis maturioribus.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

FRANCISCO MARIÆ MARCHIONI BERIO.

Si prima mei ingenioli specimina auspice illustri Marchione D. Domenico Antonio Avena in lucem prodita, ab obtrectatorum spiculis tuta fuere; (nam quamvis tunc temporis meæ musæ essent adhuc puellæ, cum ipse vix decimum octavum numerarem annum, tamen non sine omnium plausu receptæ fuere) quid mihi nunc timendum, cum mea latina carmina, tibi Francisce Maria, nuncupata, amicis hortantibus, quin etiam jubentibus, forulis tandem discedant? Moecenatem te præstantiorem seligere nequaquam poteram. Ut enim tuorum Majorum taceam merita, cum illi prima in Genuensi republica obierint munia, et principem illic inter doctos obtinuerint locum, quis te doctrina, atque omnigena eruditione clarior? Quis magis acceptus Musis? Neque ego hæc tuis ut serviam auribus. Quæ de te in medium attuli, sunt nota ac pervulgata omnibus. Cetera, ne tuam lædam modestiam, silentio prætereo; tantum te oro, obstetorque, ne me, measque musas in tuam dedigneris fidem, atque tutelam accipere; quod si mihi obtinere contigerit, cœlum digito tetigisse jam putabo.

Anno 1782.

MONITUM.

Quisquis ista lectitas, scito, plurima mihi periisse, quæ olim in Arianensi Seminario lucubraram, unde, veluti ex Equo Trojano, tot, tantaq. ingenia erupere, et ubi non amœniorum modo literarum, V. CL. MICHAELE CAMERINO Præceptore, sed et sanctioris vitæ tyrocinium posui, ANDREA, et JANUARIO CARUSIIS Ducibus, quos non canonicalis magis purpura, quam antiqui mores, et exquisitius, in re præsertim Philosophica, Doctrinæ genus insignes facit. Hæc te volebam. Vale, et fave.

ILLUSTRI MARCHIONI

D. DOMENICO ANTONIO DE AVENA

IN SUPREMO REGNI NEAP. SENATU V. VIRO
AULÆ S. R. C. PRÆFECTO MÆCENATI
SUO B. M.

MATHIAS SPANUS.

Solemne apud nos est, Senator Clarissime, ut, quoties in lucem aliquod prodit opus, insigne alicujus Viri nomen præ se ferat, qui suo patrocinio et Auctorem tueatur, et jubeat eumdem nocentium spicula minimum perhorrescere. Hoc diu, multumque mecum ipse animo agitans, nulli magis, quam Tibi hoc qualequale mei ingenioli specimen nuncupandum statui; Tibi inquam, Vir omni laude major, quemque aureis moribus, miroque ingenii acumine antiquis sane viris comparandum jurarem. Hoc tua non vulgaris eruditio, hoc erga Musarum amicos, amœniorumque litterarum

amatores singulare studium postulabat. Redivivum in Te enim Mæcenatem, exactissimumque ingeniorum æstimatorem admirari gaudemus Nunc scilicet minime illud nobis objici potest, naturam jam effœtam ferendis heroibus nequaquam amplius idoneam. Maximam autem gratiam Cajetano Oliverio summæ spei, mihique amicissimo juveni a me deberi profiteor, quod Tibi me tradiderit, illiusque opera in Tuam notitiam me venire, Tuasque innumeras fere animi dotes, quas de Te non mendax fama prædicabat, propius intueri, atque admirari mihi contigerit. Ut enim Tuæ mentis, ingeniique potentissimas vires taceam, cujus ope ad sapientiæ sacraria, ad abditiora jurisprudentiæ penetralia iter, paucis, hac præsertim tempestate, pervium Tibi patefecisti, qua justitia, qua morum sanctimonia qua animi æquitate es præditus? Quæ diu spectata magis, magisque inclaruit, cum invictissimus Rex Noster FERDINANDUS *IV amplissimorum Senatorum Concilio Te præfecit quo in munere talem Te præstas, ut nesciamus, a toga ne Tibi, an potius a Te ips togæ splendor accedat. Non Te potentiorun gratia, non navium munera et sævos duces i laqueantia, non amicorum favor mente quati solida. Uni virtuti, unis ejus amicis Te am*

cum præstas; hoc amas, hos velut filiolos complecteris. Pauperum, potentiorumque viribus pressorum, mœstis reorum querelis noctes, atque dies tuæ patent aures; hos quaqua ratione juvare, hos, quæ tua est humanitas, erigere adlaboras. Neque ego hæc assentandi gratia; testis tota hæc civitas, Tuæ spectatæ virtutis testis tota Italia; nulla enim ejus ora, quo tuæ virtutis fama non pervaserit. Sed laudibus, quas ne summis quidem labris attigi, quæque Tuis debentur meritis finem imponam opus est, cum videam, Te animo haud æquo illas ferre; ea enim Tua modestia, ut laudes mereri potius, quam laudari; quamquam, ut ad rem Lucianus (1) eatenus laudes tolerabiles, atque ferendæ, quatenus ille, qui laudatur sibi conscius est ab his, quæ dicuntur se non discrepare, sed parem esse encomio. *Quid Tuum Octavium memorem? qui Tuis insistens vestigiis, virtuteque a Te, velut gentilitio jure delata, ad tantam sapientiæ laudem adhuc juvenis pervenit, ut ubique fere gentium illius nomen, atque fama increbuerit, quem brevi ad summos honores perventurum melior virorum pars mecum et auguratur, et cupit; nam, ut cele-*

---

(1) Pro imaginibus *tom. 3. oper. p. m. 306.*

ras egregii juvenis dotes silentio prætеream, summa legum peritia, summa prudentia, consiliique alacritas, summa animi moderatio, quæ sæpe in juvene frustra quæritur, illum commendat; quod mirum mihi minime videtur, qui sciam, teste Flacco, bonos fortibus, et bonis creari. Sed sentio, Te jam cupidum sciedi, quamobrem tuis præsertim sub auspiciis, ut meus in lucem prodiret libellus, optarim. Cum livor tot, tantasque procellas, quibus jamdiu divexor in me concitarit, libello huic meo tanti Viri præsidio opus fuit. quo insanos inter fluctus certum, ac tutum teneret iter. Patere igitur inter tot, et tanta, quibus distineris negotia, et nostras Tibi Musas obstrepere; virgines sunt, pudicæ, et qnod ingenuas decet, verecundæ; pro certo autem habeo, illas Te benigno alloquio non dedignaturum: quæ enim aures humanissime tristes reorum excipiunt querelas, nonne et suavibus citharæ modis patebunt? Quod si munusculum perquam parvum vides, cogites velim non nisi parva a parvulo expectari. Majora profecto tulissem, nisi quæ prope innumera servabam poëmatia, nec prorsus inepta malo fato Brutius mihi quidam suffuratus esset. Alia tentavi, sed medio itinere a paupertate, aliisque malis interceptus, cythara silere jussa, et arbori infelici suspensa,*

alio vela dedi, et primo ad quærendum, quod ad vitam utcumque tolerandam faceret, ingenium, mentemque adpuli. Jurisprudentiæ sane vacavi, nec malis avibus, sed cum hæc studia mihi, ob rei familiaris angustias minimum prospere cessura prævidderem, ad humaniores litteras non sine magno animi mœrore docendas me contuli, Arnoldi Vinnii exemplo incitatus, qui ne egeret, amæniores et literas docuit, atque interim ad jurisprudentiæ studium totus incubuit, in qua cum multum profecisset, tot inde ingenii sui monumenta vere cedro linenda studiosis reliquit; a quo tamen non solum ingenio, sed et fortuna dispar ego: si enim illi potentium favor, et parta ingenio fama opes, auditoresque conciliavit, mihi vero homini in Urbe prorsus novo, hac ratione vix suppetit, quo miserrime vitam hanc tolerem. Meam conditionem, measque vices, Vir amplissime, jam vides; unum id Te quæso, ut invenustissimi juvenis miseratus sortem, mea, non dico, promoveas, sed foveas saltem studia, ne hoc qualecumque ingenium, quod in jurisprudentia addiscenda summopere exercere adlaboro, non sine magna quorumdam voluptate, miserrime mihi pereat. Vale, et Te, Vir amplissime, Deus Optimus Maximus sospitet, diesque Nestoris Tibi, Patriæ bono, largiatur.

LECTORI

AEqui, bonique, Lector, consulas precor
Has nugas, has mei primitias ingeni;
At si quid occurrat, tibi quod non arrideat (1)
Ætati æquum est ignoscas ut tenellulæ.
Utraque bis annos mihi namque manus digerit,
Depressis, ut fit, digitis, mox et surgentibus,
At isthæc cum scribebam, vix lanugine
Malas mi teneras ætas prima sparserat.
Feram majora factus natu grandior.

(1) Poetæ, Pictores, et laudantes liberi sunt. Lucian. pro Imagin. tom. III operum p. m. 313, Neque enim opinor oportere a Poetis ad vivum usque levia quoque perscrutanter postulari, ut exactissime omnia et dicta, et scripta sint . . . . Si in cursu Poeseos aliquid per imprudentiam incidens Poetæ memoriam fefellerit, illud perpendere acerbum est. Sed non ignorandum est, nos Poetas metrorum concinnitatis gratia nonnihil supervacuum interserere. Idem in Hesiodo ibid. p. m. 666.

AD LIBELLUM.

In lucem tandem prodis jam, parve libelle,
    Tutior at poteras tu tamen esse domi.
Paucis acceptus prodis, plerosque latinae
    Heu! veneres, latet heu! gratia, grande nefas!
Parve libelle, meos populares tu fuge, cuncta,
    Dum cuncta ignorant, carpere namque solent,
Et nugas has esse putat pars maxima, nam quod
    Ignorat floci vulgus inane facit.
Horum tu voces, horum dicteria ride,
    Quid facias, icat si tibi musca caput?
Mi satis est Campolongo, Camerino, aliisque (1)
    Doctrina claris hæc placuisse viris.

---

(1) Emanuel Campolongo humaniorum literarum antecessor, vir omnigena eruditione clarus. Michael Camerino fuit Poetæ præceptor, dum seminario Arianensi, degebat, musis latinis æque ac Cambolongo carus.

MICHAELI CAMERINO

REGIO HUMANIORUM LITERARUM PROFESSORI

MATHIAS SPANUS

S.

Ni tibi molestum est, vir clarissime meam hanc prorsa oratione laboratam lucubratiunculam, atque meos hosce versiculos, quos summis viris hortantibus, typis mandare in animo mihi est, miniatula, qua soles, cera notes velim, ut a te naris haud obesae homine judicium exprimam, sint; necne labores nostri digni, qui lucem adspiciant; tanto enim viro auctore lubenter amicis parebo sinamque opuscula nostra scrinia tandem linquere, laresque, quibus jamdiu erumpere gestiunt. Vale, atque eodem, quo semper, amore me prosequere.

Tertio Kalendas Decembris 1781.

MATHIÆ SPANO SUO
MICHAEL CAMERINUS
S. D.

Ita laborum, quos ab ineunte ætate in latinis exemplaribns nocturna, diurnaque manu versandis imitandispui exantlasti, premia tandem ferre per superos licet, suavissime Spane; ut non orationem modo tuam, sed carmina etiam, quæ doctorum virorum judicia subeant dignissim censeo. Adeo nihil in iis non elegans, nihil non castigatum, nihil non ad summorum Poetarum normam exactum Sed heus tn, in animum ne induxisti, neminem fore quin iis suffragari velit? Fuit olim, cum hæc studia florerent, nec raro affabre elaboratum carmen melioris fortunæ prærogativa haberetur. Plerique, quibus nihil sapit, nisi Matematicum, fastidient. Hos tu, si quando occurrent, pronns adora. At libellum tuum illis legendun trade, quos nascentes placido lumine Musæ aspexere. Hi cum probe norint, quam negotiosa res sit ab aureæ ætati scriptoribus quam proxime abesse, næ illi tuæ favebun industrlæ. Utinam ex iis sit, qui ex ingenti, cui fortass incubat solus, acervo, aliquid tibi emetiatur. Vale.

Kalendis Decembris 1781.

SERMONES.

ANDREÆ PARUTA

REGLÆ FAMILIÆ IN CASERTANA URBE MEDICO

MATIHAS SPANUS

S. P. D.

Hoc tibi epistolium Paulo snadente, tuoque
Antonino haud tanto indigua prole Parente
Moribus, iugenio, quos et mens augurat olim,
Accedet teneris cum annis maturior ætas,
Grande tuæque domus, Patriæ decus, atque futuros,
Mathias mittit, tanti in Viri amicitiam quo
Paulatim, sensimque irrepat, judiciumque
His de versiculis, quos cogitat edere, amicis,
Doctrinaqne viris claris hortantibus, a te
Excutiat; nostros, te namque probante, labores
Lætior in vulgus spargam. Quis te mage Phœbo,
Aut carus Musis? testes tot carmina, queis hæc
Secla beas Italoque, et concinnata latino
Eloquio. Incoctum memorem quid pectus honesto,
Atque Cleanthea turgescens fruge? tibi omnes
Divitias Sophia, atque suas largitus Apollo est,
Qui puero præcepta, quibus tu faucibus Orci
Eriperes homines tibi sedulus instillavit.

Ast ego felicem hoc etiam puto te, atque beatum.
Quod tibi sit Frater (1) fulgent cui tempora mitra,
Doctrina, et fama tam notus ubique. Quis illo
Naturæ secreta arcana retexere, quis res,
Atque potest melius rerum cognoscere caussas,
Aut callere Petri sacra dogmata, jussaque Patrum?
Felix sorte tua felix Æsernia! tantus
Cui datus est Pastor, melius quo pascere nemo
Commissas sibi norit oves, et cogere in unum
Palantes; ne dira leæna, aut Martius Ursus
Unguibus obsessas, angusto tramite sternat.
Sed quo, Musa, rapis? non si mihi lingua, Maronis
Ingeniumque, viri laudes æquare canendo
Ipse queam tanti, quo gens Paruta superbit,
Gens priscam in lucem ingenio revocata potenti,
Quo consaguinei, quo Patria gaudet alumno
Felici tanto quo Fratre superbis et ipse
O decus, o nostri non ultima gloria secli,
Andrea, in numero qui si me forte tuorum
Esse velis, lætus jam sydera vertice tangam

---

(1) Michael Angelus de Paruta, qui vix triginta tres annos natus ad Æserniæ Episcopatus apicem evectus fuit, quem adhuc adolescentem inter tot, tantosque clarissimos viros ob ejus miram ingenii alacritatem Ildelphonsus Clemens de Arostegui, Vir naris perquam emunctæ, potentissimi Hispaniarum Regis Orator selegit, ut suum Nepotem Benedictum Clementem de Arostegui omnibus in scientiis erudiret, quemque Josephus Sparanus in Memoriis Historicis Ecclesiæ Neapolitanæ inter Illustres hujusce seculi viros adnumerat.

ANDREAS PARUTA

CL. JUVENI

MATHIÆ SPANO

S. D.

Flacci his, Spane, sales, insunt his versibus ipsæ
Crede mihi, veneres, blande Tibulle, tuæ.
Adfuit ipse tibi nascenti Cynthius, ipsa
Nascentem excepit Calliopea sinu.
Hæc aluit, cum lacte hausisti hinc musica mella,
Hæc puerum docuit te quoque, Spane, modos
Versibus impariter junctis nam sive querelas
Mandas, heroo carmine sive canis,
Nulli facta magis, vel euntia mollius unquam
Carmina, Spane, tibi ut, scribere posse datum est.
Andrea hinc sponsore, tuum tandem ede libellum,
Quem veterum ipse putem vincere scripta virum.

Datum Casertæ festinanti manu
Kalendis Januariis 1782.

MATHIÆ SPANO JOANNES-ANTONIUS CASSITTUS S.

Scripta intus posita, et capsæ latitantia claustro,
Quæ, *Spane*, Hirpinis lusisti in montibus una,
Hibernas noctes dum candelæ ad breve lumen
Traximus insomnes, laudans communia, sæpe
Ostendi paucis gemui, admonuique beares
Victuris ævum chartis. Digna omnia namque
Tu plausu canis urbano; nemo unus abest te
A Flacco propius, naso suspendere adunco
Seu lubcat nebulonem aliquem sermone pedestri,
Seu Lyrico nubes malis tranare volatu.
Quid memorem heroi juveniles carminis ausus,
Quo Audini musa est expressa ipsissima Vatis?
Quid comptos Elegos memorem, aut Epigrammata, moll
Queis insunt *Albi* charites, veneresque *Catulli*?
Hæc memini, et quondam, *Camerino* iudice, victu
Et *Thyrsim* frustra, et victum contendere *Jolam*.
Nec satis hoc, nam tu castus fugis omne lyristes,
Lubrica quo possit blandum prurire juventa
Sunt ipsi sine felle sales, nec scurrilis usquam
Adparet jocus: inde elucet mensque animusque

---

(1) Joannes-Antonius Cassitto Poetæ amicus; nam et eumde
Camerino in seminario Arianensi audierat; juvenis præcoci, ac mi
ingenio famosus.

Auctoris, quo non profecto candidiorem
Terra tulit. Ne tam scitos incuria fœtus
Informisque situs premeret *Cassittus* amicum
Hortatus nil profeci, surdoque stetisti
Par scopulo, pelagi refluo qui tunditur æstu:
Atqui demorsos dicebam nil sapere ungues,
Omnia pura venusta, proba, et concinna videri.
Hæc elegantes ut *Camerini* ivere per aures,
Qui nos egregius quondam Polyhistor utrosque
Instituit, Vir Scaligero nasutior, unus
Musisa qui callet penitus, Romanaque mella,
Edere te actutum tua jussit opuscula. *Spani*
Nunc tandem lepidæ, *Camerino* auctore, papyri
Discedunt forulis, Nilum, Blasiumque videntur
Spectare, ut prostent *Ursini* pumice mundæ.
Scilicet in votis fuit hoc: pubes lutulentos
Ne pravi docilis libros terat amplius, ætas
Quos dedit ista, unctos faciant utinam unde cucullos
Qui sal, qui piper, et qui vilia salgama vendunt.
Adnuit, et visus contractam exporgere frontem
Guaranus, quo non Juris prudentior usquam
Exstitit exstabitve alter, tot pectus onustum
Divitiis Sophiæ, tot donis lingua Minervæ (1).
Non etenim indignum est, si quis dum civica iura
Respondere parat, deducit amabile Carmen.

---

(1) Marinus Guaranus Reg. Juris Antecessor morum gravitate, et summa Jurisprudentia Clarissimus; idem et Philosophiæ, et amoeniorum litterarum studiosissimus, ut ex Operibus constat Doctis, Jupiter! et laboriosis, cujus in privato Auditorio Juri vacavimus.

*

Scimus Mæonio quantum det Paullus Homero (1),
Quantum *Virgilio* Cæsar (2), quin et juga Pindi
Ipse *Modestinus* coluit, nec palluit haustus
Castalios, post quem gravium sapientia prisca
Prudentum cessim est collapsa. Hoc rudera abunde
Testantur majestatis monumenta Latinæ,
Quæ indoctus male corrupit librarius, et queis
Insudo obscoenum noctuque diuque repurgans
Augiæ stabulum, unde mihi iam plurima surgit
Pagina (3). Macte animis ergo, nec Apolline Legum
Te studium avellat; juvenis maturior adde
Rursum alia, o secli, o Patriæ nova gloria nostræ.
Quod si fortunæ debes ludibria, mentem
Mercurialem, atque infractam servare memento.
Forte mali obtenta quod nos sub imagine ludit
In melius perget sensim, ac erit utile porro.
Imbribus haud semper cœnosos Juppiter agros
Proluit, haud semper montanas concutit Ornos
Ventus, silvosa non Apenninus in arce
Altis albescit nivibus, sævum aut mare fervet.
Hoc tibi epistolium dictabat raptim Adolescens
Post *Byzantinam Portam*, qui te magis ipsis
Deperit unum oculis, multa impertitque salute.

Neap. ex Museo. Id. Novembr. 1782.

---

(1) L. 1. D. de contrah. empt. et alibi.
(2) §. 2. Inst. de Jur. nat.
(3) Emendationes Juris Civilis, quæ sub spongia sunt.

JOANNI CASSITTO

MATHIAS SPANUS

S. P. D.

Quid, Cassitte, mihi nodo quem triplice vincit
Fœdus amicitiæ, unguiculis quæ incœpta tenellis
Accrevit cum ætate simul, me laudibus ornas
Immeritum tantis, tollisque ad sydera, cum me
Iratis quidam nati Dis dente maligno
Carpant, sim doctis quod Musis deditus, et quod
Ad juga Parnassi rapiar quandoque; sed ille,
Qui frustra expertus medicam, nil vilius arte
Hac ait. Hic Sophiæ postquam noctuque diuque
Chartis nequicquam insudavit, nil magis usquam
Esse Sophis insanum clamat; denique quod non
Possumus assequier nos spernimus invidi, acerbam,
Æsopi ut docti narrat mihi pagina, vulpes
Inquiit esse uvam, quam frustra carpere tentat.
Quid faciam miser? in cujus concedam ego partes?
Hic putat esse nefas doctas coluisse sorores,
Ludere tu calamo, deducere amabile carmen
Me quandoque jubes, Cassitte, sed ipse in eadem
Es navi; nam cum mens, ingeniumque tibi sit
Ingens, invidia invita quod cuique fatendum est,
Detrahat ut laudis quidquam tibi vulgus inane,
Ingenii venam fœcundi, vimque perire
Condendis in versiculis obgannit, at isti
Ne te commoveant homines tam naris obesæ,

Ipse probasse viris, quos Jupiter æquus amavit
Me studeo, placuisse quibus non ultima laus, non
Ultima laus magnos imitari velle viros. qui
Non indignati Phœbei fluminis haustus
Carmina mandarunt æternis aurea chartis.
Musis luserunt legum jurisque periti
Alciatus, Cajusque, Sabinus, et Eckius, ipse
Ulpianusque, vigent priscæ quo vindice leges.
Quid doctum memorem (1) Aureljumque aliosque tu-
lit quos
Ætas ista recens? et quos ex litigioso,
Insanoque foro tandem secreta petentes
Haud puduit Musis et Apolline ludere amœnis
Parnassi, Pindive jugis; quin tempora mundi,
Si fastosque velis percurrere; juraque, leges
Invenies superis per carmina tradita nobis,
Carminibus moresque feros, cultusque recentum
Formatos hominum, pecorum qui more, modoque
Injustum justo miscebant, turpeque honesto.
Cur igitur vates populumque genusque Deorum
Et leges callere negant, et civica jura,
Jura Poetarum primum monstrata per ora?
Amens, insanis vulgi qui vocibus aures
Præstat, non vulgo, at paucis placuisse studendum est.
Me dolet hoc, quod nil dignum sermone canam, cum
Tot merser miser ipse malis, tot sortis iniquæ
Fluctibus, unde, mei ni quis miseratus, opemque,

---

(1) Aurelium de Januario iurisprudentiæ peritissimum virum, eumdemque Consiliarium, prorsa oratione, carminibus perquam elegantibus, aliisque miris sui ingenii operibus sat notum.

Et dexter ferat auxilium haud emergere possum.
Namque alia ut taceam, hoc miserum magis angit, habetque
Me male, quod quamvis parva haud sine laude vacarim
Civili juri, tamen exercere foro me
Haud possum, cum paupertati obluctor iniquæ,
Quærenda ut mi, queis doleat natura negatis.
Tanti caussa mali tu trux, tu dira noverca,
Dulcibus avellis dulcem quæ sæva Parentem
Natis, qui oblitusque sui, oblitusque Parentis
Officia heu durum saxum, surdumque querelis
Stat nostris, heu! stat cautes Marpesia. Non te,
Care Parens, genuit non te Gætula leæna,
Robore nec duro es circum præcordia cinctus.
Amplexus dulces, succurrant oscula, quæ tu
Infigens puero dum adblandior et tibi, Matri et,
Delieiasque tuas me, solamenque vocabas.
O utinam si Latorum mens provida legum
Ne quis prosiliat ad vota secunda caveret!
Cum detrimenti hinc capiat res publica multùm.
Semina rixarum hinc, dira hinc discordia, sæpe
Heu domibus steterunt hæc ultima caussa perirent
Cur penitus, genitorque, nefas! insurgeret ipsum
Adversus natum, adversus Patrem quoque natus.
O te Di perdant malefidum fœmina nomen,
Pernicies hominum, tu fonsque caputque malorum
Per te irrepserunt terris fraudesque dolique,
Tot scelerum facies orbi incubuere, venena
Per te inventa, trucis per te via mortis aperta est;
Insidias per te molitur amicus amico,
Non fratri frater, non patri filius ipsi

Parcit, franguntur leges, franguntur et ipsa
Iura Patrum, nil aut intentatum, vel inausum
Per te mortales linquunt, mortalia quid non
Pectora tu rerum mulier vilissima cogis?
Quidnam Tisiphonem, aut Alectum, quidve Megæram
Prisca ætas memoras? una hercule fœmina Avernus
Quotquot alit furias, quot monstra in pectore gestat.
Proh! Superum, Divumque Pater, tua dextera quidnam
Torpet adhuc? quid adhuc cessant tua fulmina? terras
Si qua polo pietas monstro hoc purgato nefando.

PALLAS SAPIENTIÆ

DIVA E MELSIPHONE

JOVIS JUSSU ABITURA

INHAS ERUMPIT VOCES.

Inclyta Melsiphone quondam fœcunda virorum (1)
Altrix doctorum mihi terque, quaterque valeto
Terras heu! alio cogor sub sole calentes
Quærere, et invita heu! isthinc blandissima siren
Avellor; sed sic divumque hominumque Parenti
Est placitum, imperio cujus parere necessum est.
Divum concilio nuper namque ille vocato
Atra bile tumens præcordia, fervidus ira,
Hinc me jussit abire procul, sedesque repostas
Quærere, ubi prœmiis, meritis et honoribus alma
Augetur virtus, simul atque illius amici.
Tantum aurum in pretio hic, auro hic venalia cuncta
Leges, jura, humani, divini quoque honores.
Hac me venali pudet amplius urbe morari,
Tanta videre piget mala, tot sapientis Alumnos
Palladis heu! tædet sic sperni, humilesque jacere
Ipsa alga magis, o mores, o fæcula! honorum
Cum teneant plerumque viri fastigia, quos tu

---

(1) Sub nomine Melsiphonis intelligitur Neapolis. Anno 1779. Poeta ad Publicorum studiorum Rhetoris munus concurrit, atque in ingenii periculo ipse, et Joannes Antonius Cassitto omnes coævos juvenes vicit; munus tamen quidam Aloysius de Sanctis, Cassitto, ipsoque Poeta posthabito, nescitur quo fato obtinuerit. Hanc ob causam carmen hocce, quod non extat integrum, elucubratum fuit.

Bæotum in crasso jurares aëre natos.
His regeris plerumque Viris, urbs inclyta, tota his
Publica res commissa, istis plerumque secantur
Judicibus magnæ lites, hi crimina discunt,
Et vitas hominum, divina, humanaque jura
Quid jubeant, aut illa vetent latet attamen illos.
O vos divitias, et opes queiscumque manu sors
Obtulit haud parca quid statis? tecta, laresque
Linquite jam patrios, cursumque ad Melsiphonea
Littora vertatis læti, si pectora vobis
Ambitione calent, sublimia munera obire,
Sive vehi ad summos apices optatis honorum,
Semper aperta auro via, saxa potentius ictu
Fulmineo aurum perrumpit, movisse severas
Iudicum amat mentes. et quo lubeat sibi cumque
Abripit invitos. At quam tu, nata Tonante,
Urbem nunc memoras, multos virtute viros, et
Doctrina insignes ajunt alere usque, libris qui
Multos insenuere annos, noctesque vel ipsas
Insomnes duxere, tument queis pectora, diâ
Fruge Cleanthea, queis est et lingua, fidesque,
Atque os magna sonans. et queis se prodidit omnis
Nil natura sui occultans; ergo quid in urbe hac
Tot clara ingeniis ignarus rerum ego sperem?
Ducere cum lætus septa inter patria possim
Quæ vos cumq. meæ dabitis Di tempora vitæ.
Aude age, lætus, ovans esto, nam dummodo sit res
Ampla tibi, spargas tua dummodo prodigus, haud ti
Arduum erit quidquam, nihil ære potentius usquam est.
Primorum tamen inprimis captare memento
Gratiam, amicitiam quaqua ratione, modoque,
Donis, officiis illos tu sedulus urge,
Omnia namque aurum, Primorum et gratia vincit.

ANDREAE DE MAJO
MATHIAS SPANUS.
S. P. D.

ANDREA et Divum mihi nectare dulcior ipso (1)
Dulcior ambrosia, vel si quid suavius usquam est,
Fœdere amicitiæ quo non mihi junctior alter,
Quo nil candidius tellus tulit, eja age tandem,
Ruris deliciis, patriis laribusque relictis,
Parthenopi, atque tuis te redde sodalibus, eja
Mathiæ te redde tuo, dulcissime rerum.
Oppidulo (2) in nostro luces tu quinque futurum
Non mihi pollicitus? menses nunc quatuor, aut plus
Hinc, ni fallor, abes mendax. Quid quæso, quid istic
Usque moras cogit te nectere? cum tibi rapta
Heu! dolor heu! fati jamdudum vi sit acerbi
Magdalena, parens eheu! dulcissima, parvum

---

(1) Andreas de Majo filius Innocentii, et Magdalenæ de Colellis urbis Trojæ, juvenis ingenio, ac morum suavitate, nec non claris natalibus insignis simul cum vate Neapoli causa studii moras trahebat. Cum Delicetum illius Patriam rusticatum isset, ac diutius ille moratus esset, hoc carmine Poeta ad redeundum Neapolim illum sollicitat.

(2) Oppido in Apulia, quod alii a deliciis Delicetum, utpote antiquæ urbis, cui nomen erat Castrum, jam penitus eversæ villula. Alii ab ilicibus arcessito nomine. Ilicetum nuncupandum rectius putant, quæ sententia mihi magis arridet.

Non decus, oppiduli non ultima gloria nostri,
Et quæ luminibus mihi carior, utpote multum
Moribus, atque meæ pietate simillima Matri; heu!
Mater adempta mihi, Mater carissima, quacum
Omnia rapta mihi solatia, tota sepulta est
Nostra domus, ubi nunc gemitus, luctus ubi, tristis
Mœror, regnat ubi scissa discordia palla.
Scis hoc tu, Rachel, scis tu, Casmira, sorores
Ambo mihi dulces, male habet quas dira noverca.
Sed tu, Casmira, heu! animæ pars altera nostræ,
Luce magis mihi cara sororcula, qam quoque Patri
Invisam scio, sic animo lætoque, bonoque;
Grata dies aderit, quæ non sperabitur; imbres
Nubibus haud semper manant; at gaudia luctum
Sæpius excipiunt ingentia, sæpe voluptas,
Dulcis amaritiem sequitur; vestigia Matris
Ast imple, ast Matrem tu moribus, exprime factis.
Tristibus at tandem quæramus læta relictis:
Illuc, unde abii jam, Musa, revertere. Quænam,
Quæ, sodes, dementia velle diutius isthic,
Dulcis amice, morarier? interiore gyro cum
Bruma trahat luces, cum jam vis frigoris atrox
Ingruat; hinc servanda domus, luces ei inertes
Ducendæ ante focum, fabellas dum tibi, longa
Ducens pensa, vetus muliercula narrat ineptas.
Ergo istuc, caput o mihi dulce, revertere tandem
Ingenium præter, redeas sed cetera pinguis.

ALEXANDRO MARIÆ KALEPHATO(1)

URIAE EPISCOPO

DESIGNATO

MATHIAS SPANUS.

S. P. D.

Quid mens, ingeniumque mihi, si non datur uti
Ingenio hoc? animumque etenim, mentemque serenam
Et sophia, et Musæ quærunt, penetralia legum
Haud adeunda putem, ni mens animusque serenus.
Dives quot Ganges, quot flavus Tibris arenas
Devolvit, me quot pascuntur in aequore pisces,
Agmina curarum tot sollicitantque, premuntque;
I nunc, et tecum versus meditare, sacrarum,
Si potis, accedas nunc ad penetralia legum.
Quid juvat ingenio tolli, et petere ardua? magna
Quid voluisse juvat conarier, atque jacentem
Linquere velle humum? Si vires deficiunt, si
Paupertatis onus me deprimit, et dare magno,
Daedalia ut proles, cogit me nomina ponto.
O vos felices, queis jam fortuna benigno
Lumine conspiciens dedit ingeniumque, manuque
Haud parca quod sit satis obtulit! Haud ego vobis

(1) Alexander Maria Kalephato, vir ob miram eruditionem, omnigenamque doctrinam, legumque peritiam, ac morum præsertim sanctimoniam numquam satis laudandus.

Mobilis invideo fortnnae munera, ham si
Tu, Kalephate, cui planum, facile omne volenti,
Me colere ingenium hoc vis, atque evadere saevis
Ærumnis, instes Picnedo, instesque Thoritto
Doctrina, ac pietate viris insignibus, et quos (1)
Ulla labefactant non munera, gratia nulla,
Stare at virtnti tantummodo praemia gaudent,
Virtutem gaudent amplis quoque honoribus auctam, his
Trade Viris me, si mei amor te curave tangit.

(1) Viris insignibus ob publica munera, quæ tunc temporis exercebant.

MICHAELI CAMERINO

VIRO ERUDITISSIMO

INTER REGIOS LINGUÆ LATINÆ PROFESSORES NUPER ADLECTO.

CARMEN

Scilicet hoc nostrum fato dilatus in ævum
Eloquii tu Romani jam jamque cadentis
Restitues, Camerine, decus, longeque repelles
Barbariem Latiis regionibus irrepentem?
O quæ, Parthenope, nutrix fœcunda virorum,
O quæ docta tuis accedet vatibus olim
Turba Poetarum! quotnam sermone potentes
Chartis Heroes aureis hæc sæcla beabunt!
Felices ergo juvenes; vos Jupiter aequo
Lumine conspexit, dulces cum lucis in auras
Venistis, vestra felices sorte! Secunda
Obtulit hunc quoniam vobis fortuna Magistrum
Munere majori dignum, majoreque honore
Augendum; sed spe, Camerine, haud excide, dignum
Namque tuis stabit meritis pretium, aurea cum se
Prodidit in lucem virtus, quae agrestibus oris
Spreta diu latuit, parvisque coercita claustris.
Sed meritis quod, Musa, virum tu laudibus ornas?
Cum quidam de plebe homines, crassaque Minerva
Illius studeant tenebras offundere famae
Ajentes studia hæc parvi pendenda, nec ullo

In pretio nunc heu! Latium genus esse loquendi.
Hocce cucullatus parvo suadere mihi olim,
Laudibus extollens ingentibus aurea Schoti
Scripta Pater conabatur, multum sed ab istis
Ingeniis ratio, et vox nunc mea dissonat; ipse
Nam scio, sermonis quantum doctrina latini
Afferat auxilii, quem qui non calleat, ipsam
Et vim verborum teneat, gravioribus ille
In studiis nil proficiet, penetralia legum
Praesertim ingredier cupiens; novi ipse, sciunt qui
Docta terunt victuri aeternum scripta Guarani, (1)
Romuleis tantum qui legibus attulit, alma
Quantum affert lucis tenebris aurora fugatis
Mane novo. Ille unus potis est ab ordine leges
Pandere Romanas, unus facere ille peritos
Juris, cum rabulas, corrasoresque dolosos
Nummorum faciant alii, civilia jura
Grande nefas! Italum in sermonem versa docentes.
Perpulchre, recte, doctorum maximi, acervus
Nummorum in lucem sic mire augebitur, omnis
Turba ignara etenim auditum vos confluet; hercle
Sunt numero plures ignari, quique latini
Sermonis veneres ignorent. Pessulum at ori
Musa procax obdas, ni vis vibrata calenti
Caesariem ferro ganymedum turba ruat te
Adversus. nam ipsum mordes nimis improba sensum,
Hoc etenim morbo juvenum plerique laborant,
Plagoso qui vix dum prima elementa Cratillo

(1) Marinus Guarani juris antecessor, praeceptor Poetae sat notus suis doctis operibus.

Docti, vixque salutatis a limine amoenis
Musis, continuo sophiae vel acumina chartis.
Advertunt, medicaeve arti, pars litigioso
Exercere foro sese lactatur, amicos,
Et notos risu quatiens. Vestigia ne vos
Horum calcetis, docti Michaëlis alumni,
Ad studia haec animo sed alacri incumbite, tanto
Sub duce laturi magna emolumenta laborum.

ACCIO SUO

MATHIAS SPANUS

S. P. D.

JAMDUDUM misere tuus optat amiculus, Acci,
Te petiisse solum natale suum, neque voti,
Hoc te per chartas quamvis persaepe rogasset,
Compos adhuc fuit. An tibi limina nostra tuis prae
Molibus egregiis sordent, et divite gaza?
Non ingens, fateor, census mihi, non mihi bigis
Pascitur aptus equus, Calabrum nec balat in arvis
Grex ovium numerosus, avus non aurea liquit
Vasa mihi dives, tamen haud deest munda supellex.
Non inconcinnus me lectulus excipit, inque
Surrentina meum quamvis non bucula ventrem,
Nec descendat avis peregrina, nec attilus auro
Venalis, quamvis et Chium et dulce Falernum
Exulet a nostris cellis, tamen omnia mensa
In tenui curo niteant, et totus in hoc sum,
Ne mihi turpe toral ne sordida mappa, calixve,

In cujus fundo limus gravis haereat, aut lanx,
Corrugetve puer nares, dum furta ligurit.
Quid? quod pulchra mihi frondescit villula; cujus
Cum formam, egregiumque situm cognoveris, alta
Voce reclamabis, felix Domine, atque beate!
Et tacitis illam votisque petes, precibusque.
Parjete et ambitur concinno, atque hunc prope opacum
Extollunt longo positæ caput ordine quercus,
Multum sufficiunt pecori quæ frugis, amantque
Hospitibus sociare comis viridantibus umbram,
Quæ somnum invitet, curisque oblivia ducat.
Haud procul ex aditu festiva domuncula surgit:
Hæc longam, latumque nemus, vinetaque multa
Prospectat, cum sol venit, emicat undique, necnon
Auras admittit suaves. Hic clausus ego cum
Aestus desaevit, vel chartae illudo, vel aureos
Contractus veterum libros exploro virorum,
Unde mihi robur, decus, et veneres, pretiosam
Unde paro gazam, quam mox depromere possim.
Vestibulum contra, longe lateque Minervae
Sacra arbos tendit pallentia brachia oliva. Huc
Praélia miscentes, sera et sub nocte videres
Crura venire thymo plenas, mussareque ad oras,
Nectere vel cellas distendere, delicias, et
Dulce meum solamen, apes. Quid si mihi large
Omnigenos fructus ferat angulus iste beatus
Praeter mora, nucesque, hirsutas castaneasque?
Non cerasa, aut illic tu punica poma, volema
Non pyra, non ficus, non cerea denique pruna
Optabis. Dextrum fundi latus adjacet ampla
Planicies, oras hujus non pauper aquarum
Allambit flumen, pingit flos versicolorque.

Quid? quod dat liquidus rivo fons nomen, et usque
Questubus alituum blandis circumsonat. His ut
Celavi latebris mihi me reddentibus, acres
Fallere sic soleo curas, modo luxuriantes
Arboribus praecido comas, siccasve ligoni
Verso levi glebas, interdum retia tendo
Vicinum fundo turdis potantibus amnem.
Turdorum ut laganum conspersum jure palatum
Exacuit, jubet et cyathos iterarier! Ipse hoc
Jucundum o dictu! sensi. Si quando lubido est
Agrestes ad vicinos me confero, ab illis
Ut risus, captemque jocos, requiemque, Deorum o
Gaudia, o Attalicis non conditionibus, o non
Craesi mutandum vitae genus!, o ego tota
Anticyra nunquam sanabilis, anteferam si
Urbem deliciis istis, rurique beato!

MATTHÆO RUTIGLIANO (1)

MATHIAS SPANUS

S. P. D.

Musis, ut grates persolvam, quod tibi dextrae
Scribenti adfuerunt mandas? cuperem obsequi amico, at
Vena mihi friget, nec post scalptum caput, ungues
Et vivos rosos, iterum quae digna legi sint
Carmina proveniunt; Sophiae nam captus amore,
Mellitas olim Musas, et ludicra liqui.
Adde quod hic magnum chartis illudere crimen
Est nobis; buccis inflatis poscere Nostri
Totum hominem sophiam clamant; recte, probe sed qui
Nec quid sint Musae, nec quid sint carmina sentit,
Ille mihi lapis est, corpus sine pectore, lignum.
O te felicem ter, et amplius, auspice quando
Per Pindi juga carpis iter Michaele, simul quo
Et Suadela istuc se contulit, ipsaque Pallas,
Ponere quae gaudet sedes ubicumque locorum
Ille dies condit; Musas cole sedulus, etsi
Nec monitoris eges, nec tu calcaribus, ipse
Namque sapis per te. Vivas felix, valeasque,
Et Praeceptoris nostro ter nomine labra
Admoveas dextrae, multam dic atque salutem
Garofalo quondam condiscipulo, et mihi amico.

---

(1) Cum Michael Camerino e Seminario Arianensi in Vigiliarum urbem se contulisset, ibique humaniores literas doceret, inter alios illius auditores fuit Mattheus Rutigliano. Hic cum Poetam ad carmina scribenda impulisset, hoc retulit responsum.

MEDICUS ET JURISCONSULTUS

HORATIANUS SERMO

Forte via, quae fert recta ad regale Tribunal,
Olim ibam solus laudes tibi, pulcher Apollo,
Mecum contractus meditans, cum nomine notus
Dumtaxat Legulejus mihi sistitur, haeret
Cui male pulla humeris vestis, quam triverat usus
Perlongus, quemque ingens deformat caliendrum
Evandri tritum capiti, rarumque, capillos
Ut numerare queas. Sueta hic post oscula, dextram et
Arreptam, quid agis rerum dulcissime? quonam
Nunc iter est tibi? ait. Quemdam volo visere amicum
Affixum lecto, vexat quem dira podagra.
Hippocratem totum trivi, doctumque Galenum
Nocturna versare manu, versare diurna
Non me pertaesum, nunquam tamen ulla, fugaret
Quae dirum hunc morbum, medicina mihi adfuit. Anne
Tu medicam nosti? Nempe, laetorque, quod arti
Ingenium appulerim divinae. Falleris hercle
Heu male consultus juvenis! quid vilius, aut quid
Foedius est illa? mecum sic collige, nosces
Sic medici munus divini quale sit. Ille
(Attalicis quod ego non conditionibus, unquam
Nec facerem, si isthaec mutanda lacinia sceptro)
Urinam, faecesque graves explorat, et inde
Augur ut, inspectis extis, oracula inerti
Pectore depromit; canescant arva pruinis,

Stentque fluenta gelu, vis frigoris ingruat, Urbs est
Circumeunda tibi, ni vis clamosa, vocato
Concilio, parvam plebs mercedem exsecet, aut te
Servitio exire imperet; obmutescis, et ullum
Haud tibi responsum succurrit. Desine plura,
Maxime doctorum, jam desine, sic tibi donent
Di superi tonsore, incomptum qui caliendrum
Istud componat, famosae cum pede pernae
Sic tua sole cliens primo cras ostia pultet.
Desine, quo tendis? nil quae hactenus oblaterasti
Ad rem nil faciunt, frustra, credas mihi, frustra
Et tu, et juridicûm totus grex elevat artem,
Quae quascumque alias tantum supereminet, alta
Attollit quantum se inter viburna cupressus,
Aut quantum tu alias inter caput extulis urbes,
Roma potens; nec falsa cano: pretiosior auro
Quantum est vita, auro tantum pretiosior ipso,
Aut auro si quid pretiosius, haec sit oportet.
Quippe tibi vitam, conclamatamque salutem
Restituit plerumque, trucis te faucibus orci
Eripit; imperio hujus mors colla effera subdit.
Aude divinam nunc, scite, Machaonis artem,
I medicos sprevisse genus venerabile divum
Aude, ipsis quanta aeternis reverentia Divis,
Tanta etiam medicis debetur, gratia tanta.
Haec ita se quamvis habeant, Phoebeaque longe
Ars alias quamvis praestet, tamen ipse necessum est
Ut fatear nullo in pretio nunc esse Medentes,
Atque jacere alga viles mage, scilicet omnes
Indocti, doctique optivo hoc nomine crescunt.
Quartus nunc sese mensis jam circumagit, cum
Campanam ad portam quemdam vidi ipse colonum

Durum, inconcinnum, vultus a sole perustum,
Atque hue longinquo advectum, cui rustica membra
Versicolor cento tegit, et male pileus haeret
Horrendo setis capiti orbiculatus, opertos
Istis adde pedes capriua pelle, remota
Calceamenta etenim nunquam sua patria novit.
Nunc idem cyprio conspersus pulvere, ferro et
Crines vibratus calido, vestesque, recentes
Quae referant formas; cinctus, per compita, perque
Pagos incedit sublimis, et omnibus audit
Insignis mediens; proh! Divum maxime Apollo,
Sic decoris tibi cura tui? tua fulmina quando
Hos homines contra merita succensus ab ira
Vibrabis? quousque feres arcessere mortem
Illam, monstrasti quam tu mortalibus artem,
Iisdem quo auxilium afferret? Medicum huic similem
olim (1)
Arcessit quidam pallenti febre laborans.
Hic simul aegrotum vidit, sis laetus, ovansque,
Tristem deme inquit nubem, nil hercule, nil est,
Sanus eris, vegetusque, decem si grana potentis
Cras opii sumas, postquam sol lampade terras
Aureus impleril: sumit, sumptoque, quievit.
Gaudet cuncta domus, cuncti laetantur amici
Certi illum morbi jam vim superasse, sed eheu!
Heu infortunati, infelicesque propinqui!
Frustra etenim nocte, ac multa jam parte diei
Praeterita, excutiunt: aeterno clauserat ille
Lumina nam somno, dulcesque reliquerat auras.

(1) Quod sequentibus versibus narratur, verum est, acciditque avae maternae Poetae, nuncupatae Carminae Natale.

IN QUEMDAM

Vulgi ludibrium fieres, ludusque, meam ni
Iram relligio cohiberet, amice, maligne
Nec mihi sanguineos versus, quibus obruerem te
Vena ministraret; segetem nam tu mihi tantam
Praebes, ut finis numquam sit carminibus, si
In te quaeque notanda velim reprehendere. Sed per
Quidquid mi carum magis, aut sacratius usquam est
Adjuro hoc, in me si audes tantum hiscere, more
Archilochi laqueum diro tibi carmine nectam.

CARMINA

ALEXANDRO MARIÆ KALEPHATO (1).

VIRO INGENIO, PIETATE ANTIQUIS COMPARANDO POTENTIAE EPISCOPO NUPER DESIGNATO.

CARMEN

Felix sorte tua grex terque quaterque beatus
Pastorem hunc nactus, superûm cui maximus ipse
Adfuit in lucem venienti, oculisque benignis
Conspiciens, tantis illum virtutibus auxit,
Ut frustra quivis imitari facta laboret.
Suspicere ast tantum liceat. Mavortia quantum
Roma alias Urbes inter procera, latentes
Quantum inter frutices viridans caput extulit ulmus,
Pastores tantum hic alios supereminet aureis
Moribus, ingenioque. Etenim, mirabile dictu!
Non solum doceant quid sancta volumina, vere

(1) Hic est idem ille Kalephato, de quo alibi facta est mentio. Primum ille ad Potentiæ episcopatum evectus fuit; inde quamvis nondum Potentiam ad capessendam collati muneris possessionem sese contulisset, Uriam translatus, mira ibi quotidiè doctrinæ, ac sanctitatis dedit specimina, ita ut cunctæ Diœcesi, quin etiam finitimis urbibus, oppidisque quam maxime flebilis occubuerit.

Ut rerum possit sacrarum dicier arca,
Quid Domini lex dia vetet, quid sanciat, atque
Qua sibi commissus populus ratione regendus,
Sed tenet in promptu chartis quodcumque profanis
Historia illevit. Doctus velut alter Alexius (1)
Qui tantum chartis antiquis attulit, alma
Quantum affert lucis tenebris Aurora fugatis,
Romanas callet res antiquarius acer.
Nam quodcumque velint sibi prisca numismata, quidve
Marmora prisca velint monumentis eruta priscis
Interpres fidus properanti et lumine sentit;
Mira his accedit linguæ facundia, quacum,
Solers nauta velut navem qui dirigit illuc,
Quo sibi cumque lubet, non quo fert impetus undæ,
Huc illuc potis est humanas flectere mentes.
Euge, ergo, euge Sacerdotum ingens gloria, honosque,
Euge decus Latii, nam te tua mascula virtus,
Non sors, ad tantum, ut mos est, non vexit honorem
Ambitus, atque potens magnorum gratia Regum.
Macte animi, Kalephate, gregem custode carentem
Coge, illumque tuis virtutibus imbue, mores
Dedoctum priscos sub te duce, et auspice tanto,
Quem majora manent meritorum prœmia, terris
Si quid enim precii virtuti stat, tua quondam
Tergemino adspiciam diademate tempora vincta.

(1) Mazochius.

IN DIVI AUGUSTINI FESTO DIE

HAERESIM POETA ALLOQUITUR.

Quid cessas? saevi, quamtumvis, impia, saevi
Haeresis, atque novas artes, tibi callida technas
Finge novas, ut tam validis radicibus alte
Relligio fundata ruat; tua inania vota.
Illa, potente sibi jam defensore parato,
Laetior it, gestatque caput sublimius, atque
Conatus vanos, vana ac tua spicula ridet.
Hic est Aurelius, qui accepta desuper alma
Luce, nefanda execratur sua crimina, et imbre
Ora madens largo, crudeli ex hoste, repente
Fit Christi propugnator acerrimus. Ergo hic,
Qualis monstrorum clava domitrice timendus
Heros, qui rabiem lernaeae contudit hydrae
Horribilis cervice renascenti, ardua franget
Colla tibi, victamque adiget sub Tartara. Frustra
Dira gemens, passis nequaquam incompta capillis
Dentibus et frendens, qualis Getula leaena,
Quae pavidis instat catulum raptoribus, ibis
Excitum Eumenides Alectumque atque Megaeram,
Tisiphonemque trucem, nec enim si totus Averni
Terrificus coetus contra te insurgat, amica
Relligio, quidquam decoris tibi detrahet. En hunc,
En Augustinum semper generosa paratum
Te propter cuivis opponere pectora telo.

LUCRETIA

A SEXTO TARQUINIO

PER VIM CONSTUPRATA.

Et vivis, vitæque potes jam vescier aura
Infelix, furiisque caput Lucretia sacrum,
Romanæ gentis Lucretia dedecus ingens?
Quid superis, quidnam mortalibus hanc ego vitam
Invisam exosamque moror? mihi terra dehiscat
Sub pedibus, ferro, diro me absumite telo,
Si terris pietas, telo detrudite ad Orcum.
Invisum superis quidnam, Lucretia, nomen,
Fabula, et insani vulgi Lucretia ludus,
Quidnam posteritas de te, serique nepotes
Dicent? quid Genitor, quid vir, quid pronuba Juno,
Foedera cui lecti, cui vincla jugalia curae?
Istas fundenti tristes ex ore loquelas
Virque, parensque, adstant, moestissima turba, puellae.
Tunc magis atque magis animo indignata nefandum
Illa scelus, furiisque agitata recentibus, ipsa
Iras adversus sese, exacuitque furorem.
Non secus ac adversa ruit cum in robora taurus,
Verberat ille auras pede, seque in cornua tollit.
Et moriar, inquit, crimen jam morte piabo,
Fixa, immota manet nostrae sententia menti;
Quid cessas? morere o Lucretia, morte dolori
Tandem finis erit; sed tu nec inultus abibis
Tarquinius; Patri, atque viro dabis improbe pœnas;

Regno, opibusque carentem, extorrem Roma jubebit.
Hæc ait, atque solo vultus defixa pudicos,
Diro transadigit costas, et pectora telo.
Ore fugit color, ægra olli nant lumina morte.
Miles qualis atrox metuens qui vincula, lethum
Infert ipse sibi, mordensque solum ore cruento
Hosti jam instanti cædem, cladem que minatur.

CARMEN (1):

Ut Deus Omnipotens mortales exuit artus
Aera per vacuum sedes descendit ad imas,
Carcere ut ereptos cœco, cœcisque tenebris
Insontes veheret manes ad debita regna.
Aspice, jam sistit, jam gemmea plaustra coercet.
Panditur atra domus, valvæ panduntur opacæ
Sedis, et immisso terrentur lumine manes.
Non secus ac vitreis extollens Phœbus ab undis
Mane caput, tenebrasque fugat, rebusque colorem
Reddit, et insolito perfundit lumine terras.
Ingreditur Victor divina luce coruscus
Aligerûm comitante choro. Tunc talia Joseph.
Ut te, dulcis amor, dulcis mea, Nate, voluptas
Adspicimus læti tot jam, tantosque labores,
Heu! tot, mortales propter, ludibria passum!
Nam quid ego memorem, quisnam me talia fante
Heu non illacrumet? laceratum corpus iniquis

---

(1) Describitur humani generis Salvatoris descensus ad Limbum postquam e mortuis excitatus fuit.

Tormentis, Siculi queis non majora Tyranni
Invenere unquam, diro quid pectora ferro
Acta, latusque fluens mixta cum sanguine lympha?
Infandove, nefas! confixas robore palmas?
Quid tristes iras, immaniaque odia gentis
Judææ? Quid agis gens impia, barbara quid gens?
Nonne vides? tuum in exitium ruis ipsa; nefandae
Arce quæso manus; quem tu servilibus urges
Suppliciis Deus ille. Dies labentibus annis
Adveniet, scelerum cum te justissimus ultor
Justis mactabit pœnis, et vindice dextram
Armatus telo regna ad Plutonia trudet.
Questus nequidquam nectes tunc questubus; Orci
Te manet aula, malis nunquam remeabile regnum.
Tales ore sonos fundentem amplexus inhærens,
Et dictis mortis Victor solatus amicis,
Scandere plaustra jubet gemmis fulgentia, et auro.
Nubila tranantes, lætos petere astra videres!
Patrum turba, quibus primævi labe Parentis
Limina clausa Poli, sequitur longo ordine agentem
Humani generis debellato hoste triumphum.
Mirantur silvæ, colles mirantur euntem,
Qualis ab hoste redit legio Romana subacto.

ELEGIÆ

MATRIS MORTEM POETA DEFLET.

Hanc umbram, hæc tandem nactus loca sola dolori
 Indulgebo, piis ora rigans lacrimis.
Flebimus. Exigua ingentis solatia damni,
 Et luctum et lacrimas, postulat ipse dolor.
Solatur lacrimis dolor, erigiturque: querelis
 Respondeant valles, et nemus omne meis.
Tu mihi, Melpomene, lugubres præcipe cantus,
 Fac pia vate fleas tu quoque, Musa, tuo.
Ergo perpetuus Matrem sopor urget? adempta
 Heu Mater, diro heu funere mersa Parens!
Perculit ut gravis heu misero mihi nuntius aures (1)
 Stat sanguis, pallensque inficit ora color.
Obstupeo, magni Jovis ut qui percitus ictu
 Vivo, sum vitæ at nescius ipse meæ.
Nunc lacrimas fundo, gemitus nunc pectore duco,
 Nunc jacto diros in fera fata modos.
Parcite, Dì superi, tantum lenite dolorem;
 Forfice seu vitæ stamina, Parca, seces.
Si qua Polo pietas, rumpantur stamina vitæ,
 Abrepta terris quid Genitrice moror?
Altera adempta eheu animæ jam parte, quid aura
 Vescor? morte magis nam mihi vita gravis.

---

(1) Poeta, cum mater e vivis abrepta fuit, Neapoli studii causa morabatur.

Morte magis mihi vita gravis: ferus ille, Parente
Qui fato abrepta vivere eumque potest.
O utinam in medio prærepto flore juventæ,
Tu mihi clausisses lumina, cara parens!
Quacum læta dies, veniebat nox quoque læta.
Qua sine mœsta venit nox, mihi mœsta dies;
Omnia qua quondam mihi dulcia, et omnia grata,
Qua sine nil gratum, qua sine dulce nihil.
Seu volucrum læto modulamine personet aer,
Et mea dira queri fata videntur aves,
Murmure seu dulci rivus fluat, ipse videtur
Aspera vel rivus murmure fata queri.
Heu oculis injussa cadit mihi fluminis instar,
Pallentesque rigat lacrima multa genas
Me potis est dictis solari nullus amicis,
Nocte queror, ipsas noctibus addo dies.
Et querimur merito mens et præsaga futuri
Heu lacrimis finem ponere posse vetat.
Vos quoque Fratre simul mœstissima turba sorores,
Effusis questus ingeminate comis.
Eheu quantus adest nobis labor, heu mala nostro
Quot capiti impendent! vanus o ipse ferar!
Fallat me Phœbus, cui mos aperire futura,
Quique suos vates fata docere solet.
Ille etenim visus, dum me sopor altus habebat,
Illacrimans tales edidit ore sonos.
Jam veteris Pater in natos oblitus amoris
Mente nova heu agitat fœdera inire thori:
Sævus in uxorem flammam jam transferet omnem,
Illa amor, illa, nefas! unica cura sui.
Ibitis huc illuc fortunæ ludus iniquæ
Heu rectore velut vos spoliata ratis,

In partesque suas, nervis ut mobile lignum
Non propriis, rapiet dira noverca Patrem.
Quid superis, hominique invisum femina nomen
Possit in historiis pagina multa docet.
Hanc propter Troja in cineres collapsa resedit,
Dum ferus heu Mavors prælia dira movet,
Proterit et durus pastor pede magna virorum
Corpora in ignoto semisepulta solo.
Inventæ hanc propter fraudes, artesque nocendi,
Sævaque tot terris incubuere mala.
Quin etiam Cælo miscentur prælia, et ipsa
In socios divos Numina magna furunt.
Te superi, genus o malefidum femina, perdant,
Et pro te quisquis pectore vulnus alit,
Sentiat ille Jovis fera fulmina, sentiat iram,
Quid possit divum sentiat ille Pater.
Sed quonam rapior? Cæli remeare supremas
Ad sedes, petere et Jupiter astra monet.
Rebus in adversis te æquum præstare memento
Pellit enim Cælo nubila sæpe Notus;
Sæpe etiam pelagi magnis jactata procellis
Huc illuc, tenuit littora tuta ratis.
Sic tu post varios casus, ac sorte profundo
Submersus sæva pulchrior evenies.
Dixit, et adspectu se substulit, ipseque somno
Excutior volvens tristia multa animo.
Di quæso meliora ferant, tradantque protervis
In mare portanda hæc omina læva Notis.
Di meliora ferant, sint vanaque somnia, mentes
Queis agere humanas Morphea nocte volunt.

4

LUCAS DE PARUTA

SUUM NEPOTEM,

ANTONIUM DE PARUTA (1)

SIC ADLOQUITUR.

ELEGIA

Quid cineres, dilecte nepos, manesque sepultos
Tu lacrymis urges nocte dieque meos?
Non lacrymis, fletuque pio revocamur in auras
Nigranti in cymba jam semel impositi.
Accepit postquam crudelis portitor æra,
Letheas undas haud remeare licet.
Est cunctis calcanda semel via lurida lethi,
Omnes fata eadem, nox eademque manet.
Non gemmis, fulvo non exorabilis auro,
Non prece vel magnos mors rapit atra viros.
Quid Phœbus genitor vocali profuit Orpheo?
Teucrum Ductori quid Venus alma Parens?
Quid tibi Pelides, Mater Thetis? ense peremptum
Hostis te diro sustulit Iliacus:
Quidve mihi, mea vita nepos, in luminis auras
Arte Machaonia tot revocasse viros?

---

(1) Antonius de Paruta urbis Saticulæ causarum patronus Neapoli degens, legum peritia, ac eloquentia sat notus.

Stat sua cuique dies, stata et cum venerit hora
Nil prodest medicas applicuisse manus.
Occidit Hippocrates, pallensque perambulat umbra
Gallenus valles, Elysiumque nemus.
His avus usque tuus comes additus a Jove summo
Et noctes, lætas transigit atque dies.
Hinc cædes, dira hinc longe discordia, longe
Hinc Deus humano sanguine lætus abest.
Hic amor alternus, regnat pax alma, nec ullus
Alterius limat commoda lævo oculo.
Omnia sponte sua tellus inarata quotannis
Hic fert, sponte sua hic ilice mella fluunt.
Hic ver perpetuum; hic violae, formosaque odores
Effundunt suaves lilia mixta rosis.
Gutture dulce melos iterat Philomela canoro,
Pallens turba avida dum bibit aure modos
Hæc loca læta colit numquam peritura voluptas,
Has lætas valles gaudia tuta tenent,
Gaudia dumtaxat concessa colentibus æquum.
Gaudia quæ nunquam turbat amarities.
Heu mortale genus rerum cælestium inane!
Affixas mentes erige, quæso, luto.
Tuque modum dilecte nepos jam pone querelis
Poscere avum superis desine velle tuum.
Viximus orbe satis, nemo has me lætior auras
Liquit, nemo abiit lætior Elysios.
Vidimus insignem fama, mitraque decorum
Te Michæl proles digna Parente tuo, (1)
Teque Philippe, et te cinctum, Nicolae, clientum

(1) Hic est idem Michael, de quo alibi poeta locutus est.

Turba, dum sapiens civica jura doces.
Quid memorem Joseph? auxit quem Præsul honore,
Clarum humeros rubro palliolo ire jubens.
Quid primas inter medicos te, care, ferentem
Andrea? Hunc, superos oro, referre velis, (1)
Antonine, unde accedet volventibus annis
Plurima io! generi gloria, honosque meo.

JOSEPH

PUERUM RECENS NATUM ALLOQUITUR

ELEGIA

SALVE iterumque, iterumque infans pulcherrime, salve
Salve o progenies indubitata Dei:
Exoptatus ades, mea nec me insomnia fallunt,
Pollicita haud fallunt me tua, Summe Pater.
Hoc cecinit quondam placidi Jordanis ad undas
Fiscellam texens inclytus Isacides.
Hoc quoque fatidico correptus numine mentem
Isaias cecinit, Threnologusque senex.
O nimium felix, albo o signanda lapillo,
Qua non adfulsit lætior ulla, dies!
Hæc est illa dies tota mihi mente cupita,
Eriperet mundum quæ ditione fera,
Et quæ stellantis reseraret limen Olympi,
Ulli quod nunquam fas penetrare fuit.

---

(1) Andreas de Paruta medicus Regalis Familiæ Borbonicæ in urbe Saticulæ.

Femina caussa mali tanti, sed femina tandem
    Primævæ en reparat damna Parentis io.
Nil moror, abrumpas mihi nunc si stamina vitæ
    Summe Pater, Cælum lætus, ovansque petam.
Optatum vidi Puerum, mortalibus ægris
    Qui tandem auxilium dexter, opemque ferat.
Ad Mariam post hæc conversus lumina, tales
    Lætitia exultans fundit ab ore sonos.
O quæ majestas, o quae tibi gratia vultu
    Uxor inest! certe tu Dea lapsa Polo es:
Nil mortale sonas, cedat tibi candida luna,
    Aureolum cedat, vincis utrumque, jubar.
Felix o mulier! nam tu tot millibus una
    Digna, Deo tumidum quae gereres uterum.
Salve o digna Parens summi Rectoris Olympi,
    Jam nunc prostratus Te, Puerumque colo.

MARIAM CAROLINAM (1)

NIMIO

THERESIÆ MATRIS AUGUSTISSIMÆ

DESIDERIO INTABESCENTEM HAC ELEGIA

POETA SOLARI CONATUR.

Sit tandem lacrimis, luctu sit denique finis,
  Sat luctu, et lacrimis nam, Carolina, datum est.
Haud lacrimis urgere decet quam castra, trucisque
  Martis juverunt arma, tubaeque sonus.
Nempe mares animi, nec non Mavortia corda
  Magnae in femineo pectore Matri inerant.
Ingenium acre inerat, mens acrior, aptaque rebus
  Magnis, et multum ad mira reperta sagax.
Mente etenim quantum posset, quantum illa valeret
  Ingenio, ostendit saepius, atque iterum.
Caetera sed taceam quo facta Viraginis almae,
  Dicam qui fractos civium ad arma animos
Excierit, Caroli dum cuncta Europa verendas
  Contemnens leges, jussaque Sancta Patris,
Vi, belloque illam solio exturbare ab avito,
  Regnaque et imperium nititur eripere:

---

(1) Maria Carolina Ferdinandi olim Quarti, nunc Primi lectissima uxor. Hæc ingenii acumine, ac rerum notitia supra omnem fere muliebrem sexum longe se sustulit.

Tunc cunctis deserta, nefas! rerum omnium egena,
    Infandam ac cernens jam prope adesse diem,
In se cum vertens arma impia perfidus hostis
    Devictam Regno pelleret e patrio,
Praesburgum sese confert, ubi flebile parvum
    Plorantem amplexu dulce fovens puerum,
Sic est orsa loqui. Gens o bellique domique
    Spectata, o oculis gens mihi cara magis,
Nunc omni virtute, tuis nunc viribus usus;
    Hoc Caroli manes, hoc puer iste rogat,
Parvulus iste puer, qui vos felicibus olim
    Adprecor auspiciis, Imperiumque regat,
Et qui flebilibus vagitibus, ac ploratu
    Flebili opem implorat, auxiliumque petit.
Me fidei committo tuae, committo puellum hunc
    Tu Matrem, Regem tu tueare tuum.
In te omnes, nec falsa cano, sitae opesque, meaeque
    Vires, cuncta in te spesque salusque sita est.
Ne Regnoque, opibusque sinas orbarier, heu ne
    Barbarus ut miles det tibi jura sinas!
Extincti succurrat amor, pietasque Parentis
    In te, te moveat parvulvs iste puer.
Pupe meus, pupille meus, vagitibus auras
    Quid comples? quidnam me petis auxilium?
Deficiunt cupidam vires, quemcumque laborem
    Te durare simul, te mihi dulce mori est.
Hæc ubi dicta dedit, arma, fremit arma juventus,
    Praelia Mavortio jam acta furore petit.
Intus agit Mars, Mars toto se pectore versat
    Exacuens acres ad fera bella viros.
Hinc hostem invadunt, caedem, cladem que ferentes,
    Pugnando certum est omnibus emorier.

Sic tu, quae aureolum sidus, mortalia temnens,
Sydera jam calcas, jamque Deo frueris,
Caedens profligans hostes, Gnatoque, Tibique
Firmas a Carolo sceptra relicta Patre.
Scilicet ipse Deus pro te stetit, ipse rebelles
Pugnans pro te animos fregit, et edomuit.
Adfuit ipse Deus, pro relligione tuenda
Quem gessisse etenim te fera bella latet?
Caelo igitur, quo jam volitasse, Theresia, certum est,
Caelicolum alloquio, laeta fruare Deo.
Debita virtuti fer prœmia, pace fruare, ac
Nos aerumnosum respice quaeso genus,
Natam quæso tuam jam respice tabescentem
Et luctu, fletu lurida et ora pio.
In te quantum instar magnae est, Carolina, Parentis!
Ut Matris mores, ingeniumque refers!
Felix Parthenope, cui tam felicibus olim
Auspiciis dederunt fata secunda regi!
Fernando, Carolina, diu jam vivito, tanta ut
Et Matre, et digna nos Patre Prole bees.

DIVUS JOSEPH

MORTI JAM PROXIMUS IN HASCE ERUMPIT VOCES.

ELEGIA.

Mellitis ergo complexibus abstrahar? ergo
Decedam vita te sine, care Puer?
Non ego, Nate, tuo posthac fruar ore, quod ipsa
Et luna, atque ipso quod mage sole nitet,
Admoveamve tuis posthac mea labra labellis,
Oscula non fronti blandula mille dabo?
O si, Summe Pater, summi Fabricator olympi,
O mihi si vitæ tempora protraheres!
Tecum dulce esset quemvis durare laborem
Tecum, Nate, truci reddere ligno animam.
At quoniam sancta haud possunt decreta recludi,
O tibi me liceat ultima verba loqui!
Pulchellæ aut saltem liceat conjungere dextræ
Dextram, complexus languidulosque dare!
Illius collo, dum sic effatur, inhaerens,
Perque genas lacrimas fluminis instar agit,
Ecce repente fugit Cæli stellantis ad aulas
Aligerum magno vita sequente choro.
Ex imò tunc corde trahens suspiria Jesus,
Et niveâ tundens pectora honesta manu
Innectit viridem beneolenti flore corollam,
Imponitque Patris exanimis capiti.
Inde madens lacrimis, spirans et corpus odorem
Ambrosium, tumulo condit in exiguo.

DIVO PHILIPPO
ELEGIA.

Sis invita licet, faveas mihi, Musa, lyramque
Neglectam Vati præbe secunda tuo.
Avia per laudum magni juvat ire Philippi,
Cui quando Heroem terra feres similem?
Cui sic divitiæ viles? quis pauperum amore
Sic arsit? testem te, inclyta Roma, voco.
Illum tu propria vidisti sæpe tegentem
Veste inopes, dum vis frigoris ingrueret;
Nec te, Roma, latet, quoties pia dextera castis
Virginibus, puerisque auxilium attulerit,
Ejectosque animos erexerit, et pius arcta
Pauperie pressos juverit ære pater.
Ut taceam hæc; quo animo sprevisti cautus honores,
Cunctis quos votis vulgus inane petit?
Scilicet et mitra, atq. ruber sordere galerus
Debuerat, solus si tibi cura Deus,
Quem sic arsisti, duo fregerit ut tibi costas
Cor arctis claudi finibus impatiens;
Imbribus assiduis etiam sic amnis adauctus
Turgidus haud gremio se capit ipse suo, at
Quo via cumque ruit tumidus, præcepsque revulsos
Et secum truncos, magnaque saxa trahit.
Quid memorem quoties aegroto e corpore morbi
Per te fugerunt, ipsaque vita redit
Jam fato abreptis?... Sed quid nos nitimur ultra?
Audax o tandem desine, Musa, precor.
Nam mihi si centum linguæ sint, oraque centum
Nequaquam amplecti carmine cuncta queam.

ANTONIUS MALDA

JURISCONSULTUS

MORTI JAM PROXIMUS HAS FUNDIT VOCES.

ELEGIA.

Ite procul luctus, tristes procul ite querelæ,
Et quæ moesta solent funera cumque sequi.
Tuque puer, felix o terque quaterque, sacrarum
Abdita cui legum, me duce, nosse datum est!
Parce tibi carum lacrimis urgere magistrum,
Parce precor roseas dilaniare genas.
Ipse etenim, nec falsa cano, non totus obibo,
Parsque mei melior, crede, superstes erit.
Nomen namque meum, mea fama per ora virorum
Ibit, mundi isthaec machina donec erit,
Dumque ætas chartis pretium arroget, aurea quisque
Nostra admiranti lumine scripta leget;
Nostra etiàm nosces oracula, qui bibis aureum
Gangem, quique Tagi littora amoena colis.
Tu tanto spoliata viro, spoliata patrono,
Quem dubiis rebus, Patria amica, voces?
Quis te, quis posthac tua jura tuebitur? Orco
Me cedente, tua spes, columenqoe cadet.
Ut sine sole dies, nox ut sine lumine lunæ,
Me sine sic squalens, sic quoque tristis eris.
Post mea fata, amens isthic discordia, tantum
Di prohibete nefas! regna sibi statuet.

Impune in fratrem frater fera bella movebit,
Nullus erit miseræ qui tibi præstet opem;
Impune insidias tutor vitæque, tuisque
Heu! pupille, bonis instruet insidias.
Direptas tibi opes frustra gemebunda requires
O mulier viduo sola relicta thoro;
Et te securus pœnæ lascivus adulter
Aut pretio, aut precibus in sua vota trahet.
Frustra me divis posces. Quem pallida terris
Mors semel invidit, non redit ille prece.

FERIIS AUTUMNALIBUS

GENIO INDULGENDUM ESSE.

ELEGIA.

O Musis, Sophiæque nimis dilecta juventus,
 O decus, o Itali gloria magna soli,
Et quam nascentem conspexit Jupiter aequo
 Lumine, et excepit Calliopea sinu.
Sit tandem finis studio, duroque labori,
 Est etenim libris sat studioque datum.
Nunc animos recreare juvat, nunc pectore curas
 Pellere, nunc prodest otia amica sequi.
Nunc dulces captandae umbraeque, et frigora, amœnas
 Nunc silvas petere, et rura opulenta decet,
Stratùs ubi florenti in gramine membra, pharetram
 Te Phoebe, ob certam, vel metuende canam,
Aeria vel pecorum custodum jurgia, te nunc
 Faune pater, nunc te candide Bacche, canam.
Est indulgendum genio tantisper, amicum
 Tempus adesse vides, utere, cesset opus.
Semina si terræ mandes bis, terve quotannis,
 Et cupiàs fructus terve quaterve ferat,
Spes effoeta avidi frustrabitur illa coloni,
 Fructibus et suetis iste carere gemet,
Sic labor assiduus vires, animique vigorem
 Frangit, et infirmum prægravat ingenium,

Ut nimium valeas tu mentis acumine, mole,
Crede mihi, tandem corruet illa sua.
Multi præterea macie, morboque premuntur,
Qui doctos homines afficere usque solet.
Corporis exhausto languent cum robore vires,
Viribus ipsa suis mens, animusque cadit.
Frontibus adversis pugnant corpusque animusque,
Sed sic nectuntur, alterum et hæret huic,
Ut simul et vivant, et agant, lætentur et una,
Idemque afficiat, angat utrumque dolor.
Carpe diem hinc sapiens, ad pristina munia si tu
Ut vegeta exsurgat mens, animusque cupis.
Et plerique viri, doctis qui secula chartis
Aurea ditarunt hanc tenuere viam.
Ipsum etiam pueris admixtum sæpe videres
Trimus Socratem opus ludere quale puer.
Pellere cum vellet diras e pectore curas
Sæpius hoc tristis fecit et ipse Cato.
Sæpe supercilio posito inclytus ille jocatus
Scipiades, choreis implicuitque manus:
Magnus et (*) Orator docto a Cicerone secundus,
(Lex metri hunc versu claudere posse vetat)
Et ludo, et genio postremas usque diei
Horas svetus erat tresve, duasve dare.
Eja age docta cohors juvenum, vestigia quondam
Magnis hisce lubens pressa sequare Viris,
Et studio, et tandem pallenti parce labori,

(*) *Asinius.*

Jam nos rura vocant, rura petamus, age.
Æstus vis posuit, posuit quoque Syrius ardens,
Et nemora, et montes nunc peragrare licet.
Auritos sequier lepores, damasque fugaces,
Insidias avibus tendere posse juvat.
Autumnus viridi præcinctus tempora fronde
Jamque ostentat opes, divitiasque suas.
Ruris delicias optat, cupit otia ruris,
Urbanis laribus cedere quique studet;
Rura petenda igitur, genio indulgete sodales,
Ludo illic, animos exhilarate jocis.
Membra illic longo defessa labore levetis,
Ludo tantum animos applicuisse juvat.
Sic dabitur iterum ad studia intermissa redire
Præstare assuetas sic quoque posse vices.
Prospera cuncta tibi cedant, surgatque cadatque
Omine felici singula quæque dies.
Et cantu, atque mero genium curate, cutemque,
Exempla et sequier nos etiam ista decet.
O iterum atque iterum, dulces valeatis amici,
Rura vocant; lætus, rura (valete) petam.

JURISCONSULTO ANDREÆ

INSOLABILITER PARVULÆ FILIÆ MORTEM DEFLENTI.

ELEGIA.

O et præsidium, moestûm o tutela reorum,
 O decus, o nostri gloria honosque Fori,
Qui simul et Patrum calles decreta Quiritûm
 Provida, cui quidquid mens cavet, omne patet,
Deme supercilio nubem, compesce querelas,
 Grande nefas magnis est lacrimare viris.
Quam semper lacrimis urges noctuq. diuque,
 Aureolum sydus sydera Nata premit,
Adspectu et dio fruitur, genus unde beatur,
 Aethereas sedes cui coluisse datum.
Felix sorte tua ter et amplius, o mihi et ipsa
 Luce, oculisq. mihi cara Puella magis,
Linquere nos tenebris, potuisti nos quoque luctus
 IESVALDA heredes linquere perpetui?
Non Patris, miseræ non te moverere Parentis
 Ex imo ducti corde graveis gemitus,
Non lacrimæ, non te suspiria, singultusque
 Queis vetitum moribundæ ultima verba loqui,
Unica spes Patris, solamen dulce Senectæ,
 Nunc Patri ærumnoso unicus ipsa dolor.

Crudele heu Fatum! heu felicibus invida Clotho,
Singula quæ nobis bellula quæque rapis!
Bellula quæque rapis nimium Mors invida, bellam at
IESVALDAM nobis ne rapuisse velis;
Abstineas, Mors atra, manus; quid? rara Puellæ
Non species, non te forma, leporque movent?
Quam rapis, effugiet non ungues illa rapaces,
Mortis et hæc olim falce perempta cadet.
Quondam erit ista tuo quoque debita præda triumpho;
Maturas segetes ergo age, sæva, mete:
Ordine cant, Mors, Fata suo; fac lumina Matri,
Lumina fac Patri claudat ut illa Seni,
Atque madens lacrimis gemat ante sepulcra, Parentum
Fac cineres, moesto fac legat ossa sinu;
Sic pereant Medici, pereant sic pharmaca, sic nil
Aegrotas vetulas restituisse queat.
At surdis isthæc scopulis quid iacto? querelas
Heu spernit! spernit Mors inimica preces!
Heu! sparsis incompta iacet IESVALDA capillis
Heuheu! pallidulis gratia adempta genis!
Quo veneres, orisque decor, pulchella, decentes
Quo risus, quonam nunc abiere ioci?
Omnia sæva tulit Mors, Mors tulit omnia, nostris
Invida quæ rebus bellula quaeque rapit.

EPIGRAMMATA.

CUIDAM SCISCITANTI DE ADOLESCENTULA, CUI NOMEN

ROSA.

Quo Patre nata, quibus sit praedita moribus, aut quo
Ingenio mea sit quaeris, Amice, ROSA?
Illi haud vile genus; proba, prudens, atq. pudica
Palladem at ingenio vincere posse putes.
Haec animi facies; si quae sit forma requiris,
Seu Veneri similis, seu Venus ipsa. Vale.

IN QUEMDAM MALUM POETAM

EPIGRAMMA.

Haeccine, proh superi!, meruerunt carmina plausus?
Carmina queis fingi quis mage inepta putet?
Hiccine se vatem vendit? proh! maxime Divum
Phoebe, tuum quaeso sit tibi cura decus.
Istius fastus contundas fulmine, dextram
O Vatum custos sentiat iste tuam.
Parnassum tendat quoties ascendere, ab ira
Succensus merita tu dato præcipitem.
Aequus ni votis his Delius annuat, eja
Caupo. olitor, sutor, villice, finge modos.

IN AMBULACRO TILIOLIS CONSITO

EPIGRAMMA.

Mactæ pulchellæ o Tiliæ, et languentibus umbram
   Frigidulam hospitibus consociate comis,
Sic neque fulmineo perdat vos Jupiter ictu,
   Horrida nec sævo frigore lædat hiems.

EPIGRAMMA.

Pone supercilium, hæc infers qui in limina gressus,
   Lætitia has sedes, et jocus almus habet.
Hinc rabulæ, scribæ, procul hoc genus omne: probisque,
   Cordatisque patens hic locus esto viris.

DISTICHON.

IN QUEMDAM DEFORMEM JUVENEM.

Est tibi crus pravum, vultus cyclopeus, horrens
Crinis, mens tenebris plena, quid ergo tumes?

EPIGRAMMA

IN QUEMDAM SOLITUM VIVERE ALIENA QUADRA.

Triclinium valeas, mea cura, valeto culina,
At nostri sapiens tu memor esto Coque.
Sportula fac ad nos veniat furtiva, Falernum
Interiore nota limina nostra petat.
Multum quippe juvant obsonia inempta; palatum
Acrius exacuunt vina nec empta, tenes?
Ut nos juvit adhuc varia consurgere mensa,
Haud nostro suaves ære parante dapes!

EPIGRAMMA.

Hoc igitur saxum Comitis tegit ossa? sepulcro (1)
Ergo hoc, quidquid erat mi mage dulce latet?
Ah dolor! hinc poterit me quis divellere? solus
Hic flebo noctes, hic quoque flebo dies;
Victum me donec moerore fidelis amici
Perpetuum comitem hic excipiet tumulus.

(1) Felix Conte civitatis Ariani poetae quam maxime amicus immaturo fato abreptus.

DIVO AUGUSTINO

EPIGRAMMA.

Aurelius tentat dum plantam evellere cœno,
Cœno anceps animis hæsitat ille magis.
Hac urget satanas, stimulos hac suada voluptas
Subjectat, miserum hac gratia dia premit.
Cuinam parendum! hac instat nam gratia, pravi hac
Mens docilis suadet deteriora sequi.
Pugnatur, victrix sed gratia vertit in agnum
Frendebat sævo qui modo dente lupus.

EIDEM.

EPIGRAMMA.

Quid dicam de te prius Augustine? paterna
Adversus miseros pectora, Dive, canam?
An doctrinam, animos qua tu fregisse rebelles
Tutari et fidei dogmata sacra potes?
An flammam in Numen, quæ te sic torruit intus,
Et totis serpsit vivida pectoribus,
Mundi ut blanditiis, patriaque domoque relicta,
Unus, Dive, tibi cura Deus fuerit?

AD DIOGENEM

EPIGRAMMA.

Hac tibi Diogenes, medio quid sole lucerna
Vis? Hominem quaero. Nempe tui similem?
Perdis aquam infelix; gaudes tu dolio inani,
Plenum amat et laudat cetera pars hominum.

IN THOMAE PACELLI BOVINENSIS
EPISCOPI FUNERE.

DISTICHON.

Huc intugrediens paullum adsiste, ac bona tanto
Corde trahens gemitus verba precare Viro.

EIDEM

DISTICHON.

Sit tibi terra levis Pacelle, ac pace quiescas
Compostus, populis advigilasse satis.

EIDEM

EPIGRAMMA.

Quid terras alio quæris sub sole calentes?
Ecquid opes opibus aggeris usque novas?
Adspice, non gemmis non exorabilis auro,
Adspice cum parvis grandia Clotho metit.

PARENS FILIO.

Saxum ergon hocce, nate mi dulcissime,
Ossa tegit tua, tuos frigidulosque cineres?
Hoc ergon lapide, quidquid heu! miserrimo
Erat parenti terris carius latet?
Heu dolor heu! miserum hinc quisnam me divellerit?
Solus dieque, ac noctu questu flebili
Loca hæc implebo, in lacrumas dum totus abeam,
Junganturque tuis, o nate cineres mei.
Mœrori, ac luctui relictus heu parens,
Amoris pignus quo perpetuum extaret, hoc
Illacrumans posuit gnato dilectissimo.

PATER FILIÆ

Hæccine pro tædis, hymeneisque filia,
Heu pignus unicum, unicusque filia
Dolor parenti, hæccine paratur filia,
Tibi eheu pompa! pro Junone pronuba en
Tristis adest Libitina. Parenti ergo, filia,
Misero haud licebit dulci functo munere

Hærede te, clausisse morte lumina?
At sequar, et tecum carpam extremum iter comes,
Sequar, nigrantique ambo impositi cymba, aquas
Pallentes umbræ stygias trasnatabimus.

PATER FILIO.

Scilicet heu miserum! ipse tibi nate, qui mihi
Exhalanti animam morte jam natantia
Lumina debueras compressisse, funera,
Inferias atque, rerum turbato ordine,
Eheu sollicitus, anxiusque jam paro?
Quid terris amplius, me quid morarier
Juvat? te sine morte ipsa est mihi vita gravior.
Quid ergo cessas? nostræ et vitæ stamina
Eja age jam, Parca, rumpas, urna eadem sinas
Una gnatumque, patremque tumularier.

FILIUS MATRI.

SCILICET hoc unum, misero, ærumnoso mihi
Hoc unum eheu! restabat, dulcis ut parens
Ipsis ocellis, ipsaque mihi carior
Vita, crudeli occumberes neci? heu dies
Notanda nigro lapide, quæ memet mihi
Parentem eripiens, rapuisti! eheu mater! heu
Meæ dimidium o animæ! o utinam tempora
Protraxent vitæ Superi, datumque senio
Obstipam cedere! essent grata incommoda,
Quæ secum cumque fert senectus garrula,
Omne foret tecum dulce; atque omne amabile.
At quid frustra hæc? vale, extremum vale, o parens,
Tabescentique desiderio tui
Imago occurses aliquando levis filio.

PATER FILIÆ.

EHEU adempta, nata! heu nimium præcoci
Abrepta fato nata! eheu complexibus
Parentis infelicis, ac miserrumi
Abstracta nata! jamne frigidum jaces
Cadaver? posthac non amplius, eheu dolor!
Meis labellis admovens labellula,
Blandula senili fronti figes oscula,
Patrique adblandieris, dum fovet sinu
Te, carum pignus? o lux duxisset eadem
Ruinam utramque! Quid perpetuo, quid juvat
Superstes esse mœrori, atque luctui?

MARIÆ PERRONE

AUCTORIS MATRI LECTISSIMÆ.

Hasce aras, atque hunc tumulum tibi cara Genitrix,
Fletu squalens, singultusque, et suspiria
Imo ex corde trahens eheu! filius dicat,
Cineri et dilecto hæc justa solvit, filius,
Cui longo terrarum intervallo dissito
Adesse nec morienti, extrema nec tibi
Heu verba; extremumque vale licuit dicere
Languidulosque dare amplexus, fugientem et animam
Excipere ore; cui non contigit heu! frigidis
Figere posse tuis extrema genis oscula.
At munera hæc tu, Mater o dulcissima,
Hos gemitus, has nec lacrumas sperne, sedibus
Aethereis quamquam, luctus unde, unde exulant
Lacrymæ, te pedibus stellas atque sidera
Calcantem adspicio. Hoc pretium, Mater, scilicet
Tuæ virtuti stabat, hæc laboribus
Tuis debita erat merces. Tu interim vale,
Extremumque vale, nec mei obliviscere.

EIDEM

DISTICHON.

HEic Maria en jaceo. Quanta heu! mihi quanta misellæ (1)
Vita fuit, lacrimæ, credite, tota fuit.

SACERDOTI BENVENUTO PERRONE

NEAPOLI DEGENTI (2).

MATHIAS SPANO.

CUR renuis mihi durus adhuc rescribere? Tandem
Accensa ut merito deflagret ira decet.

---

(1) Multa equidem mala est passa, ita ut merito dolorum mulier dici possit.

(2) Clarus præsertim theologiæ scientia. Anno enim 1764 et 1765. Academiæ Theologicæ Principis inter Gesuitas auctus fuit honore, hoc testantibus primum Patribus Mathia Persico, Michaele Mancino, Xaverio Santagata, et Augustino Plutino; deinde Patre Leonardo Leva, atque iisdem Patribus Mancino, Santagata, et Plutino.

Aequora non semper fervent, non semper adurit
    Frigus agros, cœlum aut nubila densa tegunt.
Numina placantur, placatur Jupiter: hocce
    Et priscæ chartæ, fabula et ipsa docet.
Tu tam care mihi tam dulcis avuncule, tantum
    Immortali odio me afficere usque potes?
Patria quod si ausus furtim petere arva, laresque,
    Poscenti veniam ne dare quæso neges.
Causa fugæ tibi nota: ætati parce tenellæ (1),
    Nos iterum flagret mutuus inter amor.

(1) Vix annos tredecim numerabat Poeta, cum ille puerilem ob causam e domo antedicti sui avunculi Neapoli degentis furtim aufugit. Posthac ad famosum Arianense ephebeum, vulgo Seminario, missus iratum avunculum hac elegia conatur lenire.

ORATIO IN PRAEMATURO

FELICIS COMITIS

OBITU IN SEMINARIO ARIANENSI HABITA.

Cum omnibus a natura comparatum sit, ut ex aliorum infortuniis, quamquam hi a nobis sint alienissimi, aliquid doloris capiamus; qua tandem aegritutine, quo moerore, Adolescentes optimi, putatis affecisse me acerbam, atque immaturam mortem juvenis cum vestrum omnium, quicumque me hic verba facientem auditis, tum mei præsertim, studiosissimi? Quas enim aureus adolescens, ex quo primum huc pedem intuli, Præfecti enim munere tunc temporis ille fungebatur, quas inquam, paterni amoris erga me significationes dedit? quibus mihi animum pravi nimium docilem saluberrimis præceptis, monitisque jam tunc informavit? quo studio, qua sollicitudine ad litteras toto pectore amandas me incitavit? quod ut assequeretur sæpe ingeniosos simul, et frugi adolescentes mihi imitandos proponebat, sæpe de voluptate, quæ ex studio percipitur, sermonem suscitabat, sæpe etiam, ut mihi calcar adjiceret, muneribus, quæ eo mihi

erant gratiora, quia ex animo illum facere sciebam, me augebat. At si quid aliquando deliquissem, postquam diu, multumque omni ex parte crimen expendisset, ita tandem me increpabat, ut tunc præsertim meum sibi animum, voluntatemque magis, atque magis devinciret: adeo severitatem, quod sæpe in homine adolescentulo desideratur, lenitate temperabat. Quid memorem quanto ille in studiis mihi fuerit adjumento? Illi quoties aliquam ex meis lucubratiunculis legendam tradidi, hoc candidus judex haud mihi arridet, ajebat, hic locus fœdo solœcismo turpatur, hoc ut intelligatur Oedipo opus est, adeo obscure, atque inepte scribis, i ergo, atque usque eo ingenium torque, donec per te quod insulse, quod dure, atque nimis antique scriptum est, et cognoscas, et emendes. Quoties de aliquo, aut Horatii, aut Livii loco admodum obscuro illum consului, nunquam, ut antea eram, incertus abivi; imo vero postquam effecerat, ut quid ille sibi locus vellet, intelligerem, etiam causas, cur ita interpretandus esset addebat; denique quandiu eodem contuberino cum illo mihi vivere contigit, semper me non secus, ac germanum fratrem dilexit. Quæ cum ita sint, æquum est, me præsertim illi extrema solvere, illiusque mortem debitis laudibus cohonestare. At summopere vereor, ne mei ingenioli culpa

deteram potius, quam illius laudes augeam; tamen hoc me lætum, animosumque facit, quod tam patens, tamque latus, quo excurrere possim, campus mihi præbetur, ut potius modus, quam copia in dicendo sit quærenda.

Primum igitur, si tempus per quod septa hæc immeritus mori adolescens coluit, percurrere velimus, quae, Deus immortrlis!, jam tunc virtutis non obscura dedit signa? Vos, sanctissimi hujuzce loci anguli, vos parietes, qui etiam illius desiderium sentire, qui dolorem ex illius morte conceptum ostendere, qui denique lacrimis madere mihi videmini, appello imploroque. Quatuordecim, aut, si non me fallit opinio, quindecim annos circiter erat natus, cum huic sodalitati non invitus nomen dedit, qua ætate quamquam nihil, nisi leve, nisi joculare cogitari solet, eo quod animum, quo gubernamur infirmum plerumque gerimus, Comes tamen nihil puerile sapiebat, ita ut consilii maturitas in illo annos non expectasse videretur. Cum faciem videres, quantivis pretii judicares; quædam in vultu non simulata, at a natura illi insita inerat severitas, et quæ maxima in adolescentulo laus est, pacua, et ea nunquam alieno tempore illum loqui audires! jam tunc libros, dulces amicos, carissimos sodales, suas delicias, solamenque esse, ipsis in laboribus, omnes oblectationes, omnes

voluptates se invenire ajebat; nullum, ut ita dicam, ne momentum quidem, quo nihil disceret, quod laboris expers esset, abire patiebatur; nam et horis nobis ad animos a labore laxandos datis, omnium admiratione ad studium summa animi contentione ille incumbere erat solitus; sæviat hiems, terram frigidus radat boreas, nive solum albescat, frigore contrahantur nervi, conclament sodales, quid agis Felix? te ipse respice, eja age defessum tantisper animum refice; ut nimio otio ingenium retunditur, sic nimio labore vires debilitantur, Aethiops lavatur, surdis verba fiunt scopulis, nihil enim libris fixum valet amovere. O rem admirandam! O omni laude dignum adolescentem! quem utinam nostrum quisque sibi imitandum proponeret; brevi enim hic locus doctrinæ sedes, sanctitatis domicilium fieret; et nostrum nemo et patriæ, et Ecclesiæ magnæ utilitati, magno non esset emolumento. Quid observantiam, quid pietatem in illos, quorum imperio obnoxius erat memorem? illos amabat, reverebatur, non secus ac parentes colebat; nunquam non libenter illorum audiit monita, nunquam disciplinæ docilis adolescens moderatorum objurgationes, etsi injuste accusaretur, ægre tulit; imo vero singulari quodam amore illos complexus est, quippe sic meliorem se fieri, eam esse viam, qua an-

nis labentibus ad virtutis fastigium pervenire posse intelligebat. At, dum fortuna nimium prospera, omnibus enim et a Rectore, et a Præceptore, nec non ab aliis Seminarii Moderatoribus in oculis gestabatur, multumque in studiis progressum in dies faciebat; dum prospera inquam fortuna felicem ac beatum se judicat; dira ecce exoritur tempestas, navisque, quam tuta jam tenere arbitrabatur, fluctibus absorbetur insanientibus; gravis enim nuncius, Patrem, dum Neapolim se confert, in caput delapsum paucis post diebus miserrime periisse docét. Quo vulnere ille accepto, non, ut plerumque consilii inopes adolescentes solent, aut ægritudi se totum tradidit, aut dolore, quasi hoc modo extincti reviviscerent consanguinei, furit, atque est debacchatus; sed ad Dei sese voluntatem componens, illiusque manum, qua opprimebatur, exosculans, æquo animo tantum pertulit infortunium. Quoties vero cari parentis imago ante ora sibi obversari videbatur, lacrimasque ab oculis eliciebat; non alio, ut dolorem, quo mirum in modum premebatur, mitigaret, quam librorum, quos unice amabat, quibus tantum oblectabatur, quos denique velut filiolos exosculabatur, perfugio uti consueverat. De pietate in Deum quid ego nunc loquar? cui enim exploratum non est quam sæpe, quantaque veneratione sese Christi-

corpore paverit? Quemnam latet quam libentissime sacris interfuerit, aliaque hujusmodi officia præstiterit? Vos adolescentes, quorum frontem tristitiæ veluti nube inumbratam, quorum oculos solo defixos, quorum denique os lacrymis ob dolorem oppletum video, vos, inquam, tuque etiam, pientissime Præceptor, quem nimium familiariter dulcis tui Alumni desiderium ferre sentio, hoc memorato. Quid in sodales? Quantus, quamque se omni ex parte prodens fraternus amor? Quanta in juvenes se majores natu reverentia? ita ut alii felices judicarent parentes, omnia illis bona precarentur, fortunas laudarent, eo quod filium tali ingenio præditum haberent, alii Angelum humanis indutum spoliis inter se versari dictitarent, alii alia, quæ pietas et adolescentis virtus illis ab ore extorquebat; atque hinc factum est, ut qui nostris et studiis, et moribus per quam diligentissime invigilat Rector, illius fidei convictorum classem commiserit, neminem illo ad juvenes regendos magis idoneum esse certissimus. Qua re adolescentulo nulla ambitione calenti nuntiata, statim tanto oneri suos humeros substare haud posse ratus, turbatur, et tacitis precibus, atque votis omnes superos, ut alii illud munus mandetur, fatigat, at Rectoris voluntati, imperioque oppugnare nequaquam ausus, provinciam suscipit, quam provinciam odii, ini-

micitiæ, curæ, solicitudinisque plenam quanto cum decore, quanta cum gloria, quanta denique cum moderatione ille sustinuit? testes vos ipsi sodales, qui mecum et lacrymarum imbrem ex oculis fudistis, et ex vita reliuqui putastis cum primum morbo nescio quo ille correptus, hinc excessit; qualem enim aureum Præfectum amitteremus nemo non sciebat, at qualem nobis sors datura foret ignorabatur; nec mirum, si nihil illo, non minis, atque intolerabili severitate, ut plerique ferreo præditi ingenio Præfecti solent, at pudore, et metu ad juvenes retinendos magis idoneum inveniri posse omnino difficile cuique videbatur. Quis enim illo comior, quis mitior? at tamen nihil cuiquam impune abire est unquam passus, dictitans, vitia vulneribus esse similia; nam sicut hæc, ni principio omni diligentia curentur, nequaquam, cum jam inveterata sunt, etsi ipse aut Machaon, aut Aesculapius, aut alius medica in arte excellens ab Inferis excitetur, sanari possunt; sic etiam illa, nisi nascentia opprimantur, postquam altas in animo fixerint radices, ab illo jam affecto nulla nec parentum, nec regentum cura possunt omnino exstirpari. Qua oratione non solum si qui sibi infensi essent juvenes, conciliabat, quippe, qui ipsas pœnas, ipsa supplicia, qui-

bus peccantes affici soliti erant, non aliunde, quam ex nimio in se paterno amore proficisci intelligebant, verum etiam odium nunquam obliterandum in vitia illis ingerebat, omnes enim fere, quos illius disciplinæ Rector tradidit, si quibus forte vitiis laborassent, statim et æqualium, et Præfecti præsertim exemplo incitati, ipsi sese in viam reducere, novamque vivendi rationem instituere studebant, ut juvenes, quibuscumque ille præerat, et aliis magnum virtutis exemplum futuros, et jam tunc ipsos suæ vitæ modum habere posse arbitrareris. At quid res, quæ summis etiam Oratoribus negotium facessere possent in tanta dicendi inopia exornare conor? quid sigillatim quomodo immeritus mori adolescens hoc in munere sese gesserit exponere allaboro? mihi tantum dicere satis sit, nullam ex his, quæ in juvenum Moderatore requiruntur dotes, illi defuisse. Alterum illum diceres Proteum, adeo formas mutare callebat; cum res per se severitatem postulabat, tristem, atque superciliosum videres; cum lenitate opus erat, facilem, atque omnibus commodum sese præbebat, verbis interdum amicis omnes compellabat, nulli ludos abnuere solitus, sed ita ut si quos, aut nimium ludo capi, aut in iracundiam pronos videret, quo omnes rixarum præcideret caussas, ab illo abstinere ridenti vultu juberet, qua

re vix pronuntiata, omnes, ludo vale dicto, atque alacres libros continuo arripere videres; tantam quisque illi obedientiam præstabat, tanti ab omnibus æstimabatur, ita, quod ne patri quidem familias, præsertim ut nunc sunt mores, contingit, amabatur. Quid nunc de hac re ego plura prædicem? O utinam diu illius consuetudine frui, illiusque sub disciplina vobis, sodales carissimi, mihique vivere contigisset: nam improbus labor, assidvæ vigiliæ (interdum enim oculis somnum defraudans, studio ipsas noctes parva lucerna socia dabat optimus adolescens) effecere, ut gravem in morbum incideret, quo, medicis, cognatisque hortantibus, atque jubentibus nolens hinc sanitati consulendi ergo, domum vix tandem abivit; quæ res effecit, ut illius virtus omnibus, et in omni re jam spectata magis, magisque pateret, hunc enim locum, quem suas delicias, cui quidquid doctrinæ sibi esset, debere, ubi denique reliquum vitae spatium ab omnibus remotum negotiis traducere se discupere ajebat, hunc locum, inquam, quamquam eo redactus erat, ut ob virium imecillitatem ipse sibi esset molestiae, magna non sine voluptate celebrabat; nec aliam ob caussam, quam ut sacris frequentius adesset, Christique corpore, quod vestrum nemo non ignorat, sæpius sese pasceret, sodaliumque oculis illi cariorum congressu, alloquioque frueretur. Non

unguenta olens, ut plerique adolescentium solent his postquam claustris tandem evasere, non vestes recentes imitatas formas indutus, aut crinibus calido ferro vibratis spectandus, pulchellisque stipatus juvenibus plateas metiri consuevit, at, quod maxime mirandum est, ne talarem quidem vestem deposuit, ita ut in illo adolescentiæ vim jam deferbuisse diceres; atque ideo quocumque sese conferebat, probitatis, sanctimoniæ, integritatisque omnibus erat spectaculo, omnibus digito monstrabatur, prætereuntium oculos, vultusque in se unum convertebat, alter, quoties in publicum prodibat, hæc alteri in aures insusurrabat, o felices, o fortunati, qui hunc tulerunt parentes! habent enim, unde se jactent, habent, qui temporis progressu familiam admodum obscuram e tenebris in lucem revocet, fortunasque mirum in modum exaggeret, nihil enim non est sperandum ab adolescentulo, quem præter non pingue ingenium, aurei commendent mores; Mater autem, quam semper observavit, cui semper morigerus fuit, quam denique in sinu semper tulit, spem, columenque senectutis suæ illum vocabat. At o fallaces spes, o vana, o incerta hominum consilia! qui cum nihil nobis felicius, nihil nobis beatius terris esse credimus, cum nobis ipsi secundas ob res taciti gratulamur, tunc præsertim ingentia nobis mala impendent, dum magno molimine ad alta nos at-

tollere conamur, caelique ardua jamjam contacturos putamus, cereæ ecce liquefiunt alae, Icarique modo magno cum fragore præcipites cadimus. Nam dulcissimus noster sodalis, decus Seminarii, ornamentum hujusce Civitatis, quem nemo est, quin lugeat, quin proprio sanguine e fati faucibus cupiat ereptum, cum suum morbum in dies magis, ac magis recrudescere videret, Arianenses medicos consuluit, qui omnes uno ore, si sanitatem pene conclamatam reparare cordi esset, Neapolim, doctrinæ sedem, illustrium virorum altricem illi petendam esse pronuntiarunt; quorum dictis, ne quid intentatum relinqueret, ille parens, post multos sumptus a patria remotus, a caræ genitricis, ac propinquorum amplexibus abstractus, e vita non sine omnium dolore discessit; quem jam morti proximum intueri, atque sic moribunda voce loquentem mihi videor audire. Terra vale, homines valete, vale etiam omnibus cum necessariis, cara o Parens, quam ego, a Patria quamquam longo terrae intervallo dissidens, extremum exosculor, atque complector; vale iterum, meique esto memor, atque Deum ad quem jam vocor, ut, meis peccatis in illa justitiæ lance benigne ponderatis, in cælestes me sedes recipiat, illiusque adspectu, unde cælicolæ beantur, æternum me frui sinat, precare, atque obtestare. Quo autem animo nunc esse, quo do-

lore illius propinqos intabescere putatis? jam pallens, moerore perdita, rugosas genas lacrymis madida, albentes comas dilaniata ante oculos mihi Mater obversatur, atque hisce vocibus aures perstringit. Quid egi, quid volui mihi misera? quid toties, ut vitam mihi producerent, Superos sum precata? an ut senio jam obstipa tantam malorum molem subirem? ah! saeva, ah! nimium mors crudelis; quid tua in meam præsertim domum fulmina iniqua conjicis manu? alio, ah! poteras illa divertere, infelicis misereri debebas; quid enim te juvit mihi miserae, natum, in quo omnes meæ spes, omnes opes sitae erant, in quo uno me solabar, quem intuens me recreabam, tam cito, et quod vix humane fero, a Patria dum remotus erat, eripuisse? ah! saltem morientem complecti, animam exhalanti extrema oscula labris infigere, extrema verba dicere mihi contigisset! Esset enim, unde dolori tam acerbo aliquid consolationis adferri posset; o felix morte tua conjux in tantum dolorem non servate! O utinam nunc nunc ego quoque invisam hanc vitam finirem! Cum nihil terris sit, altera mei parte extincta, quod me delectet, aut insanabili huic vulneri opportunum afferat remedium. At quo, infelix, quonam abripieris? eja age modum querelis pone, atque, fraeno lacrymis, dolorique injecto, hilari mecum fronte tuum sic filium allo-

quere; dulcissime o nate, omnium fortunatissime o puer, praemiis, quae tuis virtutibus, tuis laboribus caelo, quo jam advolasse confido, posita sunt, fruere, nec nostri, generis aerumnosi, qui adhuc salebrosas, periculosasque hasce Syrtes, unde tu jam emersisti, singulo quoque momento naufragium expectantes, secamus, te capiat oblivio. DIXI.

MATHIAE SPANO

CL. JUVENI

CAJETANUS OLIVERIUS.

Seu tristes elegos, seu docta epigrammata fingis,
Seu rabiem jambis exprimis Archilochi;
Digna Virum seu facta canis, tu carmine, vena
Divite conjurat dives et ingenium.
Ergo majus opus moveas audax; Epos acer
Quin tentes? tua et hoc vincere Musa potest.

FINIS.

A. S. E.

IL SEGRETARIO DI STATO

MINISTRO CANCELLIERE.

ECCELLENZA.

Lo Stampatore Francesco Fernandes volendo pubblicare per le sue stampe *Le Poesie Latine di Mattia Spano*; prega la bontà di V.E. commetterne la revisione.

FRANCESCO FERNANDES.

Per disposizione dell' Eccellentissimo Ministro Cancelliere Presidente se ne commette l' esame al Signor Marchese di Castellentini, Reggente della Seconda Camera.

Il Segretario Generale del Supremo Consiglio di Cancelleria = MORELLI.

Commesso al Regio Revisore,
D. DONATO GIGLI

CASTELLENTINI.

Napoli 16. Novembre 1818.

Eccellenza.

Le *Poesie Latine dell'Avvocatto Mattia Spano*, che l'E. V. mi ha incaricato di esaminare, furono la più parte sottoposte altra volta all' occhio del pubblico, che le accolse con quella commendazione, di cui l'eleganza dello stile, la facilità del versificare, e la chiarezza dell' espressioni le resero meritevoli. Le doti stesse io ho scorte nella parte, che si desidera aggiungere all'antica, per darle unitamente alle stampe. Quindi non essendovi in tutta l'opera verun sentimento, che offenda la religione, o il governo, o il buon costume, son di parere, che possa permettersene la pubblicazione.

A. S. E.

Il Segretario di Stato
Ministro Cancelliere.

Il Regio Revisore
Donato Gigli

Napoli li 21. Novembre 1818.

LA SECONDA CAMERA

DEL

SUPREMO CONSIGLIO DI CANCELLERIA.

VEDUTA la domanda di Francesco Fernandes, per dare alle stampe l'opera intitolata le *Poesie Latine dell'Avvocato D. Mattia Spano.*

Veduto il parere del Regio Revisore D. Donato Gigli permette, che la indicata opera si stampi, ma ordina che non si pubblichi se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di averne nel confronto riconosciuto la impressione uniforme all'originale approvato.

Il Reggente della Seconda Camera.
MARCHESE DI CASTELLENTINI,
DUCA DI CAMPOCHIARO.
Il Segretario Generale = MORELLI.

L'Eccellentissimo Ministro Cancelliere Presidente, e gli altri signori Consiglieri nel tempo della soscrizione impediti.

È uniforme all'originale approvato,
DONATO GIGLI.